NATIONALBIBLIOTHEK
IN WIEN
139908-B
ALT-

Digitized by Google

139908-B

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

BILE MEDICINA

120.— 7

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRO

GRADV DOCTORIS

QVAEDAM PROPONIT

D. VI. APRIL. MDCCLXXV.

IOHANNES DOMINICVS SCHVLTZE

HAMBVRGENSIS

671

GOETTINGAE

LITTERIS IOANN. CHRISTIAN. DIETERICH.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRIVMVIRIS

OPTIMIS MAXIMIS

FORTVNAE MEAE

STATORIBVS PATRONIS PROMOTORIBVS

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

JOACHIMO FRIDERICO

BOLTEN

M. D.

INCL. S. R. I. LIB. REIPL. HAMBVRG. PHYSICO PRIMARIO

VIRO

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

FRIDER. LVDOV. CHRIST.

CROPP

M. D.

INCL. S. R. I. LIB. REIPL. HAMBVRG. SVBPHYSICO

MEDICIS FELICISSIMIS

Digitized by Google

NEC NON

VIRO

SVMME REVERENDO GRAVISSIMO DOCTISSIMO

GEORGIO HENRICO

SCHVLTZE

AD AEDES D. JOHANNIS IN PATRIA VRBE PASTORI

MERITISSIMO VIGILANTISSIMO

PATRI OPTIMO

HOC

QVALECVNQVE SPECIMEN INAVGVRALE

EA

QVA PAR EST

OBSERVANTIA REVERENTIA PIETATE

OFFERT DICAT DEDICAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

AVCTOR.

Digitized by Google

PROOEMIVM.

Cum in eo ſim, vt publice ſtudiorum meorum rationes reddam, idque pro more maiorum commentatiuncula fieri ſoleat, placido nunc eruditorum examini hanc de Bile commentationem ſubiicere liceat. Arriſerunt quidem mihi varia argumenta, de plantis nempe camphoriferis, de connubio opii et Ipecacuanhae, a quibus tamen tractandis variae erant, quae animum alienarent, rationes. Cum plantis enim, licet ad eas cognoſcendas disquirendasque hortus botanicus ditiſſimus occaſionem praeberet largiſſimam, examen operoſiſſimum tamen chemicum inſtituendum eſſe, probe intelligebam, quod vix cum quadam integritate et iuſta induſtria a me profligari poſſe, et temporis anguſtiae et rerum experiundarum multitudo monebant. Alterius tractationem, iam inceptam miſi, cum arduam ſane rem animaduerterem, tyronique difficillimum negotium, quod vſu rerumque multarum notitia ſubactum requirat ingenium, cum nihil aliud ſit, quam tenebris lucem affundere. Nemini enim tam felici hucusque eſſe contigit, explicare, quare venenata opii (ſit venia verbis) atque Ipecacuanhae emetica vis in miſtione et iunctura vtriusque euaneſcat, et in vtiliſſimum medicamentum transeat. Quibus itaque neglectis, placuit quaedam de bile, vt medicamento proferre praeſtantiſſimo. At cur de bile nonnullos interrogare audio cum iam doctiſſima Ill: Hufflandi exſtet diſſertatio? Nolite mirari, L. B. atque contemnere cum quadam feſtinatione, labores manibus magis, quam ingenio moleſtos. Mea enim ex ſententia iis, quae Excell. Hufflandus acutiſſimo ingenio docuit, addi ſaltem poſſunt experientiae teſtimonia atque auctoritates multorum in arte noſtra facile principum. Multa quoque, quae vſum medicamenti ſpectant, illum latuerunt, poſteritatique ſunt ſeruata, vt bilis vſum tanquam praeſtantiſſimi medicamenti detegeret. In eo itaque opera noſtra verſabitur, vt ſua, quae dixit, auctoritate, veterum, noſtrique aeui teſtimoniis partim confirmemus, partim limitemus, noua addamus, adeoque argumen-

tum

Digitized by Google

tum omne, quantum per vires noſtras fieri liceat, perluſtremus atque explicemus, eo ordine, vt

SECTIONE I: DE BILE *in genere.*

SECTIONE II: DE VSV EIVS MEDICO, *et quidem*

Cap. I. INTERNO

Cap. II. EXTERNO

agatur.

Sed antequam ad rem ipſam accedamus, pauca de Hiſtoria medicamenti monere lubet. Omni profecto aetate floruiſſe, adeo vt in libris ſanctis ipſis eiusdem mentio ſit facta, cunctisque a gentibus receptum eſſe, experientia conſtat. Etenim non ſolum ſimpliciſſimi naturae cultores Lapponiae et borealium terrarum incolae, ſed etiam Angli, facile in medicina principes, Sueci doctiſſimi, Teutones denique ſollertiſſimi bilem, vt medicamentum venerantur. Similiter quovis ſaeculo probabatur cunctis, cum diuo Hippocrate, magno Galeno, obſeruatore Ariſtotele, naturae ſcrutatore Plinio conſentit reſtaurator totius medicinae Boerhauius, diuini ingenii vir, ita vt iure quodam ſuo, noſtra tempora, tantorum virorum ſequantur auctoritatem. Ex quibus facile intelligi poteſt, quantum commendationis et dignitatis accedat noſtro medicamento, cuius praeſtantiam ſola eius natura iam declarat. Reſpondet enim ſimul multis morborum indicationibus, exigui pretii, et vbique ad manus eſt, quibus et ſimplicitas accedit, qua ſola ſatis commendatum eſſe opinor. Tam diu enim creuit floruitque medicinae ſtudium, quam diu Coi auctoritate ſimpliciora probarentur, decreuit in compoſitorum amore, viget nunc atque effloreſcit noſtris temporibus in ſancta Anglorum ſimplicitate.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

DE

BILE IN GENERE.

§. I.

De bilis natura pauca in fronte diſſertationis afferre, mearum partium eſſe iudico. Pauca tamen, eaque breuiſſime peragenda ſunt, ne notiſſima et theoretica, practicis meditationibus locum praeripiant. Diſſenſum itaque de definitione bilis ortum intactum relinquimus, noſtramque ſaltem, nobis veroſimillimam, proferemus ſententiam. Sit aliis humor amarus qui vel in veſicula fellea, vel in vaſis, de hepate ad duodenum patentibus, ſecernitur, nobis liquor eſſe videtur, ex autoritate Magni HALLERI *) qui de hepate per ductus biliarios exit. Nemo porro eſt, qui neſciat, in quam varias partes abeant viri eruditi, cum generationis eiusdem et ſecretionis naturam indagare contendant, meo quidem ex ſuffragio Ill. HALLERVS **) ſatis ſuperque docuit, eam ex ſanguine venae portarum naſci: ſecretionem autem a nemine explicari perſpicue poſſe putamus, cum abſconditiſſimum ſit, vt in omnibus humoribus noſtris, naturae myſterium, in qua tamen indaganda WINSLOWII ***) ſententia omnibus aliis nobis praeferenda videtur, filtrationis quippe modo peragi. Bilis quid ſit et quomodo gignatur.

§. 2.

*) Phyſiolog. Tom. VI. §. 28. p. 597.
**) Ibidem p. 598.
***) Hiſtoire de l' Acad. de Scienc. ann. 1711. legi quoque meretur SCHEL diſſ. de Hepate et bilis ſecretione Goett. 1759.

§. 2.

Diuiſio et qualitates.

Diuidunt vero bilem e communi eruditorum conſenſu in cyſticam et hepaticam, et pauci phyſiologorum ſunt, qui diſſentiant. Neque temerario diſcrimen illud ſtatuimus, cum non vnum idemque ſit, vtrum hanc vel illam in vſum medicum voces. Cyſticae nimirum bili maior ineſt acrimonia, quam color ſaturate viridis, maiorque ſpiſſitudo concomitant. Hepatica autem dulcedine quadam praedita eſt, magisque diluta apparet. His praemiſſis qualitates generaliores (de iis enim quae chemiae ope indagantur §. 4. agemus) ſenſuum ope ſcrutabimur. Vitiis ſi eſt immunis, oculis ſe offert colore viridi in plerisque animalium generibus conſpiciendum, in carniuoris autem magis obſcurior cum flauedine quadam miſta reperitur; manibus ſi teratur, tantum viſcoris et tot vnguinoſi quid profert, vt inter viscidiſſimos humores merito referatur. Guſtu experimur amariſſimum illius ſaporem. Spargit denique recens bilis vaporem fatuum, eundem qui ſenſibus anatomicorum in abdominis inciſione occurrere ſolet, licet pro diuerſitate varii bilis generis diuerſus euadat. Quae quidem omnia, quo minus altius indagemus, meliusque exponamus, diſſertationis noſtrae limites impediunt.

§. 3.

Partes contingentes.

Quae de partibus conſtitutiuis ſemperque obuiis, nec minori iure de contingentibus bilis valent, de concrementis ſcilicet nonnullis, quae vulgo calculi biliarii audiunt, de quibus aliquid proferendi locus hic erit aptiſſimus. Omnes equidem oriuntur e bile, cuius viscor tenaciſſimus facile in calculos exire poteſt, ita vt concreſcant atque coagulentur, quorum vulgatiſſimum olim in re medica vſum fuiſſe, vt omnium omnino lapidum, et in corpore humano et in brutis inuentorum, conſtat, quem nimius compoſitorum amor illis temporibus maximopere ſuadebat. Decreſcente illo euanuit quoque vſus eorundem adeo,

vt

vt ſuperuacaneum videatur hanc de bezoardicis materiam vberius explicare. Duos potius lapides, biliariae naturae, videamus, quorum vſum ſummorum nominum auctoritas, et veneranda antiquitas probant. Alter detegitur in ſelle boum hyemis praeſertim tempore, quo boues cum pratorum amoeniſſimorum, tum motus iuſti iacturam, experiuntur, quem verno tempore fruſtra quaeres, cuius nulla alia excogitari poteſt cauſa, quam quod languor humorum, e motus parcitate ortus, eiusmodi bilis coagulationem facile efficere poſſit. Mentionem huius lapidis fecit ipſe AVICENNA ſub nomine Hazacri. Alter, ſua natura bilis concrementum*), reperitur in ſic dictis porcis, cui praecipuum nomen Pedra del Porco dederunt, famoſiſſimus atque pretioſiſſimus lapis! cujus hiſtoriam, quin hic adſcribamus, non eſt cur dubitemus. Quod Perill. a LINNE publice confeſſus eſt: "Barbari plus ad augmentum medicaminum attulerunt, quam omnium aetatum ſcholae" huius quoque lapidis atque medicamenti, (ſi tale meretur nomen) exemplo probatum videmus. A barbaris enim commendatum accepimus, ita vt tali commendatione primum Hispani, deinde reliqui Europaei mouerentur, qua de re conferri poſſunt ea quae primus DIMAS BOSQUE poſteritati tradidit. Pro diverſitate regionum varie *appellatur*. In Malacca loco natali audit Koeliga Laudac, in India Maſtica de Soho**) in Luſitania Pedra del Porco. Eadem in denominando diuerſitas reperitur quoque in eruditorum ſcriptis, vbi variis ſub nominibus, Lapis Malaccenſis, Lapis Hyſtricis, Bezoar porci***), Pedre Porcas, Bezoar porci marini, et Pedro de Vaſſar****) occurrit. E quibus quidem nominibus facile colligere poſſu-

 mus,

*) Quod Rauerhorſtius quidem iniuſtis profecto rationibus in dubium vocauit. vid. eiusd. diſſ. anatomico medica de motu bilis circulari eiusque morbis. Lugd. Bat. 1696. 8.

**) Seba theſ. I. tab. LI. f. 3. 4. 5. p. 82.

***) Rumph. Amboins. Rar. Kammer. p. 296. ſqq.

****) Valentini polych. exot.

mus, cui maxime *brutorum generi* talis fellis conditio a natura ſit tributa. Etenim cum omnis denominatio e duplici fonte hauſta videatur, vel e regione, vel e brutorum quodam genere, miſſo priore, ad alterum eo conſilio accedamus, vt in quo tandem animali lapis inuenietur, coniiciamus. Inter duo tantum quadrupedum genera Erinacei nimirum et Hyſtricis eligendi nobis eſt poteſtas, quadrupedum inquam, cum nemo noſtris temporibus vel auium vel piſcium claſſi adſcribere haec nomina ſuſtineat, quamquam veterum ea in re deprehendimus fluctuationem ſummam *). Quamobrem vel Hyſtrici e veterum, vel Erinaceo malaccenſi ex LINNAEI auctoritate tribuendum eſſe videtur. Duae porro habentur *ſpecies* celebratiſſimi illius Pedra del porco, Malaccenſis et Zeylanicus, quorum vtrumque in verum et ſpurium diuidunt, quam tamen diuerſitatem facile conciliare atque tollere ita poſſis, vt Malaccenſis verus, forte ex Erinaceo, Zeylanicus autem verus, ex Hyſtrice proveniat. Zeylanicum ſpurium quod attinet, non bilis concrementum eſſe opinamur, ſed potius idem, quod naturalis hiſtoriae cultores aegagropilam appellitant. Pretii maximi plerumque eſſe ſolet Malaccenſis verus, qui in veſicula fellea inuenitur, atque probe diſtingui debet ab eo, quem SPIELMANNVS**) ſpurium cognominat, atque in inteſtinis ventriculoque gignitur. Proprii ſunt *characteres*, quibus cognitis facile omnibus occurri poteſt fraudibus, quae emtionem eius concomitare ſolent, cumque nobis eumdem, verum intelligo, videndi frequens fuerit occaſio, cum in ditiſſimo ſplendidiſſimoque omnium rerum naturalium muſaeo fautoris optimi Illuſtris. BOLTEN, tum in apparatu cel. BÜTTNERI, nunc ex munificentia tanti viri academiae noſtrae donato, locupletiſſimo, eosdem hic indicabimus. *Colore* nimirum gaudet ſubrufo inſtar

*) Bouoanni enim, teſte Valentino, in tractatu Recreatione dell ochio e della mente part. II. n. 18. p. 179. Hiſtricem piſcem appellat, alii aues contendunt cognomine Taran et Sydan.

**) Mat. Med. Argentor. 1774.

inſtar nuclei perſicorum aetate euaneſcente, in terendo vnguinoſi quid prodit, ita vt aquae ſuperficiem more ſaponis viſcido quodam tegat: non plane laeuigata pollet *ſuperficie*, ſed faueolas ſimiles illis a variolis relictas exhibet; *conſiſtentia* *) eſt ſucci inſpiſſati, eiusque ſuperficies eodem modo dehiſcit. Summa denique *amaritudine*, quam etiam aquae immittit, praeditus eſt, neque tamen tanta, quemadmodum nonnullis placet, vt manu tractatus in ſuperiori eius parte ſentiri poſſit. Ex India ſi ad nos venit *tunica quadam* exteriori vel veſicula inuolutus reperitur, (quam tamen non vidi), folium autem eſt tenuiſſimum, glutinis cuiusdam ope lapidi artificioſe additum, quod infuſione aut maceratione in aqua calida diſſoluitur, vt retulit DEKKERVS **) practicus Lugdunenſis feliciſſimus, atque patronus medicamenti grauiſſimus. Eſt quidem eadem falſis ſ. ſpuriis amarities, ſuperficies autem glabra, color obſcurior, odor ſuaueolens moſchoque ſimilis, vt his virtutibus facile dignoſci poſſit. Vtrum autem ſpurio eaedem tribuendae ſint vires de eo diſſentiunt inter ſe eruditi. Parum iis tribuit BEHRENS ***). Cum enim ad ſanandos tres aegrotos, in vſum adhibere cogeretur ſpurios non admodum felices ab eorum vſu vidit effectus: duo enim aegrotorum perierunt, tertii valetudinem aliorum forte medicamentorum, vt ipſe fatetur, virtus atque praeſtantia iuuit atque confirmauit. Reſtat vt aliquid de inſigni eius *pretio* commemoremus, quod profecto ſtupendum dici poteſt, ſi itinerariis aeque ac multis ad materiam medicam ſpectantibus libris fides eſt habenda. Sic SEBA ****) aſſerit, non ſemel ſed ſaepius eum pretio mille thaler. vendidiſſe, ſimilique modo SPIELMANNVS *****) redemit ſibi talem lapidem, cuius pondus eſſet ℥j, 300 flor. TAVERNIER ******) teſta-

*) Interdum mollis quoque inuenitur teſte Bontio cap. 46.
**) Excercitt. pract.
***) Breslauer Sammlungen. 1709 et 11.
****) Tom. I. tab. XXI. fig. 3. 4. 5. nam et figur. hic inuen.
*****) Mat. Med.
******) Voayges des Indes Tom. II, L. II. p. 320.

Digitized by Google

teſtatur, ſe tres numero collegiſſe ita, vt, modo 300 - modo 400 - tandem 500 thalerorum ſumma ſoluta ſibi vindicaret. HOUTHUYNIUS*) aſſerit venditari ſolere in Hollandiae prouinciis pro 1000 flor. neque tamen latent rationes, cur iis tantum pretium ſit tributum. Etenim in loco natali ipſo, ſi GARZIAS AB HORTO**) credendus eſt, inter munera publica et regalia refertur, quibus ornantur ii, qui regum loco Indiae prouincias adminiſtrant, ſinguliſque annis vno alterove ſocietas belgica eo donatur, quare vt muneris regalis ſemper tueatur dignitatem non niſi pretio inſigni 135 - 275 flor. venire ſolet ad mercatores, qui ex acceptis mercibus pro more ipſorum noua lucra cogunt. Quibus accedit et hoc, quod non in omnibus huius generis animalibus***) inueniantur, ita, vt ex HILLII****) auctoritate in 100 animalibus, duo ſaltem eosdem praebeant. In tanta lapidum caritate quis non iure quodam, *artes fraudesque* expectat, inter quas haec praecipua*****), vt nuces ſeneſcentes rotundatas et in ſuperficie politas Arecae Catechu, quas noctu aquae ligni colubrini immergunt, eorum loco ſubſtituantur.

§. 4.

Experimenta cum bile.

Quae adhuc de bile diſputauimus pertinent tantummodo ad eius naturam in genere ſpectatam, ad partes eius proprias aeque ac contingentes rite dignoſcendas, quibus nunc addenda ſunt ea, quae experimenta chemica nos de eius natura docent. Chemia ductrice intelligimus primum, et bili ipſi et calculis felleis eandem eſſe naturam, iisdemque partibus conſtitutiuis inter ſe gaudere, omneque diſcrimen reperiri tantum in eo, quod maior copia ſalis volatilis inſit lapidibus. Cui quidem

*) Naturlyke Hiſtoire etc. Tom. I. pag. 368.

**) Hiſtor. aromatum.

***) Dahlmanni. 156.

****) Mat. Med. p. 852.

*****) Osbek, iter chin. p. 164.

Digitized by Google

dem ſententiae parum forte ponderis a noſtra affirmatione accederet, niſi iuuaretur clar. MACLURGI*) doctrina et experientia; is enim rem confirmauit experimentis, ita, vt ſimpliciter affirmare in hoc libro poſſimus, eadem de bile valere, quae de eius concrementis, calculis nimirum felleis. Sed paulo difficilior eſt diiudicatio, cuius maxime generis vtriusque partes ſint conſtitutiuae, cumque hic inter chemicos maximus reperiatur diſſenſus, agamus ita, vt, quae omnium fere tulere conſenſum, ab iis incipiamus, adeoque a ſimplicioribus ad magis compoſita progrediamur experimenta. Bilis igitur neque alcalina neque acida eſt, aceſcentiae reſiſtit, et vergit in putredinem, id quod Perill. PRINGLE**) vberius demonſtrauit, id tamen obſeruans, quod non omnibus bilis ſpeciebus eadem facilitate id accidere ſoleat. Aliis rebus admiſſa, ad putredinem pronis, eandem maxime in iis promouet: aqua porro facillimo modo diluitur, deliqueſcit in ipſo aëre, per ignem, niſi ſiccata prius, poteſt comburi. Olea et oleoſa commiſcet cum aqua, tenaciſſimas quoque reſinas et Gummata, ipſam Myrrham, Bdellium ſoluit, ceramque mutat ita, vt vitello ſimilis euadat***), coagulatur leni igne, alcohole vini, ſpiritibus acidis et extracto gallarum. Sed magis compoſita experimenta haec ſunt. Aquam, oleum, ſal****) et terreas continet partes: quodſi enim veſicam felleam tauri examines, ℥viii-XII bilis ea contineri animaduertes, et phlegmatis ℥viß, olei empyreumat. ℈iv, ſalis volat. ſicciſſimi ℈ß, capitis mortui ʒii et gr. viii, e quo, ſi fortiſſimo ſubiicitur igni, denuo elicitur oleoſum quoddam craſſiſſimum, cum ſublimatione flaua: quod vero remanet, ſi rite tractatur, ſalis alcali eſſentialis gr. XXI, denique terrae ſiccae gr. LXVI. Hinc intelligi poterunt ea

*) Medical eſſays of Edimb. vol. I.
**) In appendice libri von den Feldkrankheiten.
***) Pharmacien moderne p. 98.
****) Quam in rem conferri poſſunt ea, quae Leuwenhoek in Arcan. Nat. det. p. 115. m. tradidit, atque oculis praebuit conſpicienda.

Digitized by Google

ea omnia, quae ex vſu, de huius medicamenti virtute conſtant, licet non negarim melius explicari poſſe, ſi acutiſſima excell. CADET *) theoria iuſtis experimentis confirmaretur. Is in bile has reperiri partes contendit, oleum nempe animale et principium lixiuioſum ſalis culinaris, cum quibus aliud ſal coniunctum ſit, lactis virtute praeditum, tum terram calcaream, cui ferrei quidquam inſit, in quo aeque ac oleoſis partibus cauſa amaritiei atque coloris lateat a caeteris ſaponibus diuerſi. Sed, vt modo dixi, his contradicunt experimenta ab ipſo auctore inſtituta **).

§. 5.

Num bilis ſapo naturalis?

Iam ſponte ducimur ad quaeſtionem, num bilis ſit ſapo naturalis? cuius diiudicatio ob argumenti coniunctionem intimam, iure in hoc libello a lectoribus poteſt exſpectari. Qui rem affirmant, has ſequi ſolent rationes. Cum bilis omnis et aquoſis quam plurimis et oleoſo-ſalinis-ſaponaceis conſtet partibus, quarum ſumma coniunctio atque permiſtio, aeque ac in ſaponibus, recte partim ad ſapones aceſcentes, partim ad alcaleſcentes merito referri, adeoque ſubſtantiam appellari poſſe, quae duplicis generis ſaponem contineat, contendunt. Cui accedit et hoc, quod bilis praecipua vis et facultas eadem cum ſapone, reſoluens nimirum, inueniatur. Qui vero in contrarias abeunt partes, eos, quo minus ad ſapones naturales referant, id maxime impedit, quod in ipſa cum

*) Experiences, chymiques ſur la bile de l'homme et des animaux. Hiſtoire de l'Acad. Par. 1767.

**) Plura qui legere cupit, omnia atque egregia inueniet in BAGLIVII, BOERHAVII, VERHEYNII, PECHLINI, ETMÜLLERI, HARTMANNI operibus, vt et BURCHARDI Diſſ. de natura et vſu bilis Kilon. 1770. Sed inprimis legi merentur Memoire de Paris, 1706. Illuſtr. SCHROEDER Progr. inaugural. Experimenta cum bile. SPIELMANN reſpond. Roederer diſſ. de natura bilis. Argentor. 1767. Et cl. MACLURG in Medical Eſſays of Edinburgh. T. I. p. 11. Experiments upon the human bile.

Digitized by Google

cum ſapone ſimilitudine, diſſimilis tamen, ob amaritudinem videatur. Certe ob eiusmodi acceſſoriam virtutem vix e numero ſaponum excluderem; quo inclinat magnus ipſe SPIELMANNUS*), dubius enim errat in eo, num bilis ſit ſapo, an ex ſaponum numero delenda? "in hanc „enim, ait, ſententiam primum abieram, nunc vero dum omnia rite „perpendo, dubius iterum haereo. Video enim multa in vtramque par„tem poſſe diſputari, et eſſe in his ipſis noſtris experimentis nonnulla, „quae pro ſaponacea bilis indole, poſſis interpretari". Omnis forte dubitatio tolleretur, ſi in ſaponis definitione conueniremus omnes, neque haec adeo varia atque incerta deprehenderetur.

§. 6.

Quae cum ita ſint, quis poſſet de bilis vſu et praeſtantiſſimo quidem dubitare, quin in corpore humano vtiliſſimus liquor, neque, vt veteres ſomniarunt, excrementitius hepatis ſuccus, appellari queat, praeſertim cum communis omnium animalium dos deprehendatur, quo ipſo a natura de eius praeſtantia et neceſſitate admoniti videamur. Apparent quidem cadauera bile cyſtica priuata deſtitutaque, quod Anatomiae cultoribus notum eſt, ſed in illis ipſis reperiuntur viae atque naturae conamina, quibus, quo laboraret, vitium emendare, damnumque reſarcire ſtuderet.**) Neque mirari eiusmodi naturae conamen debemus, cum huic maxime liquori demandauerit praecipua in corpore humano negotia, coctionem adiuuandi, et ſucci nutritii digerendi mu- De triplici bilis vſu.

 nera,

*) Diſſ. cit.

**) Cuius generis memorabile ſane exemplum exſtat in Philoſ. Trans. Vol. 36. p. 927. n. 414. an. 1731. Inſeruit haec Illuſtr. HUBER Arch. Seren. Haſſ. Landgr. In quo cum veſica fellea plane deeſſet, heparque ſine ſulcis omnique ex parte conuexum glaberrimumque deprehenderetur, natura tamen, quo vitium corrigeretur, adeo amplos reddiderat ductus hepaticos, vt lumina digitum admitterent, in quibus liquor, eiusdem cum bile naturae, aſſeruaretur.

Digitized by Google

nera, in quo nimirum verſatur vſus bilis phyſiologicus. Quando enim iuſta copia cum chylo faecibusque commiſcetur, ſua vi attenuare eadem, reſoluere, abſtergere, fibras motrices ſtimulare, diuerſiſſima quaeque permiſcere, acria ſalina obtundere, coagulata diuidere, vias expedire chylo, appetitum excitare, cruda coctis aſſimilare, atque aluum euacuare poterit. Quas quidem in machina humana mutationes, quomodo vel efficere ipſa, vel adiuuare et promouere ſua virtute poſſit, id vberius explicare, non e re noſtra eſſe videtur*) Alter bilis vſus ad rem oeconomicam pertinet. Adhibetur a tinctoribus, pileorum confectoribus, pictoribus denique: ſic enim ope calculi fellei bouini pictores efficiunt optimum flauum colorem: porro vtrique et tinctores et pileorum confectores vtuntur bile ad abſtergendum pinguedinem, quae lanae adhaerere et coloris ingreſſum impedire ſolet. Pictores ſimiliter, ad ſoluendos colores, et attenuanda pigmenta adhibent**). Admiſcetur denique, quod forte non omnibus innotuit vernici chinenſium famoſiſſimo, qua de re confer. Mem. de l'Acad. Pariſ. ***). Tertius vſus eſt medicus, qui cum diſſertationis argumentum habeatur, ſatis erit nominaſſe.

§. 7.

De praecipuis bilis ſpeciebus in medicina quaeque; ſit eligenda.

Varias autem bilis ſpecies in medicina in vſum adhibuerunt, adeo vt res diſquiſitione digniſſima videatur, cui ab vtilitate maxima laus tribui poſſit. HIPPOCRATI prae ceteris vſus fellis tauri, caprae, Scorpii marini****), ſuis placebat, GALLENO probabatur accipitris, et in libro de ſubſtitutis medicamentis loco fellis cameli, ascalaboti*****) loco

*) Confer. Philoſoph. Transact. n. 414. Eſſay upon the uſe of the Bile in the animal oeconomy, founded on an obſervation, of a Wound in the Gall Bladder.

**) Transact. Abridgm. Tom, V, P.I. pag. 419.

***) Tom. III. pag. 121.

****) Scorpaena porcus.

*****) Lacerta ſtellio.

Digitized by Google

co muſtelae*), cameli, loco Hyaenae**) perdicis, loco Simiae, Cameli, loco viperae ichneumonis commendat. DIOSCORIDES acutiſſimus ſuo tempore medicus, ſequenti modo de diſcrimine inquit: „Omnia praeterea fellis genera acria ſunt, et excalefaciunt, maioris tamen minorisue efficaciae ratione inter ſe differunt. Siquidem praeſtantioris effectus eſſe videntur, fella marini Scorpii, piſcis, qui Callyonimus***) dicitur, marinae teſtudinis, et Hyaenae, itemque perdicis, „aquilae, galinae candidae, et caprae ſylueſtris, ita vt ouillo, hircino, ſuillo, „atque etiam vrſino taurinum ſit efficacius". Quibus quidem addi quam plurima poſſunt, quorum nomina, hic adiungere ſatis erit, vt hominis, elephanti, canis, lupi, leonis, felis, leporis, auium rapacium omnium, aquilae, falconis, vulturis, cygni, hirundinis, Hoobaarae auis, crocodilli, viperae, anguillae. Noſtra quidem aetate ſolemus tantum bilem tauri, vrſi, et lucii piſcis, vocare in vſum. Neque tamen vnum idemque eſſe crediderim, quali tandem vtaris, vt NEUMANNUS****) a chemicis rationibus ſeductus exiſtimat. In caeteris, ait, liquoribus, cum non memorabile exſtet diſcrimen, cur itaque in bile? nulla igitur dubitatio quo minus hanc vel illam ad medicos vſus transferas. Sed cum a bilis indole expectetur in medicina vis et efficacia eius omnis, facile intelligitur, non eadem virtute praeditas eſſe poſſe cunctas bilis ſpecies, quae praeparantur in animalibus, cum genere tum vitae alimentis diuerſis. Equidem bili eorum, quae herbis paſcuntur, non tantum acrimoniae admiſtum reperies, quantum in carniuoris; in quibus ille ipſe liquor ad oſſa facillimo negotio concoquenda valet. Quod ipſum experientia confirmatur; ſic enim in calidiſſimis regionibus fel ob nimiam acrimoniam in venenum abit,

 quod

*) Muſtela Erminea α? Furo?
**) Canis Hyaena.
***) Uranoſcopus ſcaber.
****) In Chemiae P. II. Sect. II: Cl. I. Cap. 1. §. 2-11.

quod de piſce Guamajacuatinga*) et bufone Cururu**) ſatis conſtat; „et recte HALLERVS***), neque ego doſin maiorem fellis cyprini fa„cile deglutiri ſuaderem in tanta acerbitate ſaporis. Sed quae bilis indoli accedit diuerſitas a nutrimenti varietate, ſenſuum ope facillime diſcernenda, eandem ab ordinis quoque differentia oriri obſeruarunt. Piſcium enim bilem dignoſcit guſtus inter omnes alias vt mediam, in qua iuſta acerbi cum amaro deprehendatur miſtura, ita tamen, vt acerbitas vincat amaritudinem. Ouiparis autem ex omnium conſenſu amariſſima eſt bilis, vt falconi, et amphibiis quidem nonnullis, quae ad hoc genus referri poſſunt, ſumma, ita vt Crocodili bilis induat efficaciſſimi veneni naturam.****) Quae cum ita ſint, neque temerarium, neque inutile erit iudicium de eo, quaenam potiſſimum bilis ſpecies ſit eligenda, atque in vſus medicos vocanda? GEOFFROI quidem tauri bilem eligendam eſſe propterea cenſet, quod caeteris acrimonia, volatilitate, atque incidentia praeſtet; cumque ea abundemus, neque caritate difficilior reddatur vſus medicus, tam interne a virtute, quam externe ab vſus facilitate ſatis commendata videtur. Aſt! ſit taurinae bili ſua laus, ſua virtus, maxime tum, cum venerit e tauro mediae aetatis, neque ſiti, neque fame, neque ira, neque laborum moleſtia laceſſiti; nemo tamen, qui animalium ſtudioſe inveſtigat naturam, negare poterit, quin eadem laus ad alia quoque animalia transire, niſi eminere in iis poſſit, praeſertim cum ab animalium vita victuque, ad meliores ſecernendos humores aptiori, non cum quadam feſtinatione ad vtiliorem bilis

*) Piſo hiſt. nat. braſil. L. I. pag. 295.
**) Omnium ranarum aquaticarum nomen peculiare.
***) Phyſiol. Tom. VI. pag. 551.
****) Conf. Müller Beſchreibung der Landſchaft Fetu, Hamburg 1676. 8. So hat man auch in dieſem Lande ein überaus kräftiges, aus Crocodillen Galle zubereitetes Gift, mit welchen ſie die Pfeile pflegen zu beſchmieren, bevorans wenn ſie dieſelbige in der Schlacht gegen den Feind wollen gebrauchen.

lis indolem concludamus. Quare quid impedit, quo minus vrſinae bili eandem laudem atque virtutem niſi maiorem vindicemus, cum ab huius animalis victu bilis humanae naturae accommodatiſſima praeparatio expectari poſſit. Neque experientia adhuc hanc feſellit expectationem. Borealium enim terrarum incolae, non ratione, experientia tamen freti, omni aeuo hac feliciter vſi ſunt, et recte quidem, cum nos non lateant rationes, cur raro eos decipere potuerit experientia. Vrſus enim, quem ad beſtias feras referunt, victum ſuum quaerit e vegetabilibus, amat radices atque gramina, arbores ad apiarios deuorandos ſcandit, e quo victu ſuccus paratur ad concoquendas quoque carnes, e praeda acceptas, efficaciſſimus. In tanta victus vrſini cum noſtro cognatione, etiam bilis vrſinae natura magis accedere ad noſtram poterit, adeoque hanc caeteris praeferendam exiſtimamus.

§. 8.

Vires ſucci huius praeſtantiſſimi colligi facillime poſſunt ex eius natura. *Amaritie* enim *ſua* ventriculum et fibram laxam roborat, *ſaponacea* vi humores fundit, obſtructiones tollit, *particulae eius ſalinae* motum vermicularem inteſtinorum promouent, ſaburram pituitoſam ſolvunt, vermes necant, et quotidie aluum ad deiectionem inuitant, forte etiam putredini a ſale volatili reſiſtitur. Hinc in quibus potiſſimum morbis feliciter adhiberi poſſit, ſponte intelligitur. In obſtructionibus nimirum, infimi praecipue ventris, in ventriculi debilitate, in appetitus denique defectu, vtque verbo dicam, in morbis omnibus, qui vel roborantem, vel reſoluentem medicamenti vim poſtulare ſolent. Haec de vſu interno. Externe applicata partim vt reſoluens agit medicamen, quod tumorum frigidorum, vt vocare ſolent, curatio demonſtrat, partim vt abſtergens, quare ad ſananda vulnera adhibetur; in oculorum denique morbis cauſticam vim exercere videtur.

De viribus huius medicamenti generalioribus.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9.

Num bilis aliis praeferenda medicamentis?

Sed in tanta optimorum medicamentorum copia, quae omnibus §. priori factis indicationibus optime reſpondent, facile animum ſubire poterit cogitatio, num maiori caeteris virtute gaudeat bilis, adeoque omnibus aliis ſit praeferenda? Quod affirmandum eſſe exiſtimauerim. Praeſtat enim *Extractis amaris*, quia cum principio roboranti et ſaponaceo ſimul agit, aluum leniſſimo modo aperit, acidumque, in primis praedominans viis, efficaciſſime deſtruit. Neque minor bili accedit commendatio exinde, quod in adultorum morbis ſanandis *ſalibus mediis* *) non egeas, quorum vſum tot tamque multa comitantur incommoda, vt ſaepiſſime in humorum maxime tenacitate ventriculi et primarum viarum pituitoſo ſtatu, euacuandi conſilio, non ſine aegroti periculo exhibeantur. Nimis enim reſoluunt, ſanguinem attenuant, primas vias debilitant, adeoque aegroti dolores non leniunt, augent potius, nec raro in morbos chronicos mutant. Deinde *Rheo* et *Sennae foliis* praeferenda bilis videtur, cum ob doſeos paucitatem, tum eam ob cauſam, quod vim laxantem ſine torminibus et doloribus exſerat. Denique quod maximum eſt, eam ob rationem huic medicamento, praeſtantiae laudem non denegandam eſſe exiſtimauerim, quo *naturae noſtrae accommodatiſſimum* videatur, cui ita aſſuefacta, vt ſanitatis tempore ab eodem ſucco, ſed proprio et naturali, regantur et adminiſtrentur actiones in corpore humano primariae, cur tandem in proprii corruptione, a peregrini, ſed parum diuerſi, ſanitate, auxilium ad easdem vel reſtaurandas vel adiuuandas, quin praeſtari poſſet, dubitaremus.

§. 10.

Cautelae in exhibendo.

Quaemadmodum autem rebus praeſtantiſſimis et vtiliſſimis accidere ſolet, vt incaute et improuide adhibitae, in noxias et pernicioſas muten-

*) Blochs neue mediciniſche Bemerkungen pag. 94.

Digitized by Google

mutentur, id quoque de hoc medicamento valet, adeo vt, ex BACONIS admonitione, non ex vulgi opinione, ſed ex ſano iudicio eo vtaris. Quae enim de roborantium medicamentorum aeque ac reſoluentium vſu iam longae confirmatae ſunt cautiones, eaedem et in noſtra cauſa in cenſum veniunt. Quando enim nimia laborat imbecillitate aegrotus atque calore depaſcente, pericula potius, quam commoda a bilis vſu exſpectari poterunt, valde enim acre eſt medicamentum et exaeſtuat. Similiter, quando humores nimia affecti ſunt aquoſitate, abſtinendum erit ab eo, ne reſoluente eius vi corrumpantur adhuc magis, quam emendentur. Conſtat enim iam inter omnes de damnis et incommodis ex intempeſtiuo reſoluentium vſu, in virium maxime proſtratione, humorumque fuſione ortis: deſtrui nempe omne principium glutinoſum, fluida denſa reddi, ſanguinis maſſam acrioribus particulis miſceri, proſterni vires penitus euacuando, mortem denique accelerari. Summam itaque cautionem, in bilis vt reſoluentis medicamenti vſu adhibendum eſſe quis non videt? Quae de bilis vt medicamenti roborantis vſu monenda reſtant, ea in ſingulis morborum generibus fuſius enumerabimus.

§. II.

Cogimur quidem, ne ſaluberrimo priuemur medicamento, ad *inſpiſſandam fellem*, qua tamen mutatione amittit aliquid facultatis, quam cruda, et recens aſſeruabat. Quam vt ex parte reparemus iacturam, lentiſſimo igne bilis inſpiſſetur *) vasque ipſum bene claudatur, ne volatilia transeant, iisque bilis priuetur. *Quod modum exhibendi* attinet, formam pilularem optimam eſſe cenſeo, quo acceptior guſtui. Recte enim QVINTVS SERENVS SAMONICVS**) Praeparatio. Modus exhibendi. Doſis.

Prodeſt

*) Conf. Pharmacop. Danica. Hafniae 1772. p. 177.
**) Opera omnia. Amſterd. 1706. 8. p. 14.

Prodeſt cum Veteri Bacho ſel vulturis ampli
Sed cochlear plenum *guſtu tibi ſufficit vno.*

Hoc modo faciliorem quoque reddes miſtionem cum aliis medicaminibus ſcopum accedentibus, atque obducendo pilulas paſta, quam Germani OBLATE vocant, decipies linguam molliorem ſexus ſequioris, quae tam inſuaue atque ingratum forte repudiaret medicamentum, ita vt ei hac fraude gratificari ſimul videaris, nec raro ſtudium tuum in acceptioribus medicamentis ſeligendis, ab ore blandiſſimo extollatur laudibus, quas haud male viri iuuenes in arte noſtra ſaepius optant. Hinc quod artes ſuadeam, facile poterit intelligi, quantus me ceperit medicamenti amor, forte non temerarius. Equidem *maiori doſi*, quam hucusque in more fuit exhibendum eſſe cenſeo, quod tamen non ita accipi velim, ac ſi neque ab aetate, neque a corporis diſpoſitione, neque a contra indicantibus, ſaepius minorem efflagitari poſſe contenderem. Sed hoc in vniuerſum dictum eſſe velim. Nimirum, ſi in caſu quodam de maiori doſi nos nihil quam moris conſueti relictio dubios redderet, hic non amplius eſſe fluctuandum putamus, ſed more Anglorum ſine metu et dubitatione aegroto quoque die bilis ℥i*ß* praeſcribi poſſe, qua tribus forte vicibus, ſingulo die, et altera quidem doſis, immediate poſt prandium conſumatur. Quae omnia cum iudicii practici ſint, atque a morbi cuiusuis disquiſitione pendeat doſeos ratio, commodior hac de re diſſerendi locus Sectione II. erit ad quam lubens nunc accedo.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

DE

VSV BILIS MEDICO.

Capvt I.

De vſu interno.

§. 12.

Abſolutis itaque generalioribus, propius accedimus ad id, cuius cauſa, quae hiſtorici generis erant, praemiſimus. Qui enim ſit bilis et Pietra del Porco vſus medicus, in quibus morbis recte adhibeatur, vel adhiberi additis rationibus poſſit, id diiudicare mearum maxime partium eſſe, ſi officio meo ſatisfacere vellem, exiſtimaui. Neque tamen ſi forte hic animum iuuenilis ingenii vires relinquere quodammodo videantur, veſtram L. B. indignationem et reprehenſionem me laturum ſpero, qui in hac cauſa niſi de acumine, diligentiae tamen laude, mereri ſtuduerim. Etenim quae ad rem noſtram faciebant obſeruationes experientiasue, ex quam plurimis doctorum theſauris congeſſi, congeſta in ordinem redegi, his meam qualemcunque interpoſui ſententiam, ita, vt ſubactiori ſaltem vſu ingenio facilius reddiderim negotium, cauſam noſtram omni ex parte disquirendi. Placuit autem, quae de vſu bilis interno, obſeruari poterant, ad eum morborum ordinem referre, quem Ill. VOGELIVS in Praelect. Therap. ſecutus eſt.

§. 13.

Febres.

Primo itaque loco ponantur febres, *et intermittentes* quidem, quarum curationem, medicamenti noſtri ope, adiuuari feliciter, obſeruarunt DEKKER *) SCHROEDER **), qui in his vſum quoque Pietra del Porco, ſi II. horas ante paroxiſmum infuſum ſumatur, ſine metu recidiuae ſuadet. Similiter REYGER **) (Archiater Caeſareus) „accidiſſe refert, vt quidam domeſticus febr. tert. correptus reſiduum „infuſi modo dicti Pietra del Porco ſumſerit, et blando excitato ſudo„re ab illa liberatus conualuerit. Cui experientiae recentiorum temporum accedunt plura exempla, cuius generis in *Actis Suecicis* ****) memorabile quoddam exſtat. Puella debilis IV annorum per duos iam annos febri vexabatur, typo errante neque fixo, vt ſe modo in quartanam, modo in tertianam, quinimo quotidianam mutaret. Augebatur malum miſerrimis infantis conuulſionibus, dirisque cardialgiis. Propinabatur fel tauri cum vino gallico, et octauo die ceſſabat morbus. Cumque medicamentis per octo dies aegrotus vacauerat, his praeterlapſis denuo per octo dies bilis adhibebatur, ſicque feliciſſime reconualeſcebat. Quod vtrum bilis vi et efficaciae tribuendum ſit, optime docuit Ill. auctor, cum, quae in aegroto, bili vtente, apparebant phoenomena, cum bilis natura comparaſſet. Euacuabatur, inquit, ſaburra viſcida, primae viae purgabantur ab acido, cruditatesque delebantur. Hinc ſimul diſcimus quae ſit recta in febribus intermittentibus indicatio, quae bilis opem a nobis poſtulare videtur. Etenim cum PREINDIO *****) et BOERHAVIO ******) non ſolam febrium intermittentium cauſam in lentore et viſciditate ſanguinis, capillaria corporis vaſa obſidente, poſitam

*) Praxis medica p. 591.
**) Behrens in Breslauer Samlungen W. Q. 1723. p. 627.
***) Miſc. Acad. N. C. dec. I. ann. iii. obſ. 283.
****) Vol. XXVII. ann. 1765. p. 331.
*****) In Emmenologia cap. VII.
******) Aphoriſm. 755.

Digitized by Google

ſam eſſe credimus. Recte noſtro aeuo neruoſis adſcribuntur morbis, quam ipſam ob cauſam, niſi laudata diagnoſis optime conueniat, cortice neque praeferri noſtrum medicamentum, neque plane illius auxilia repudiari debent. Ea enim poſita vix dubitari poterit, quin reſoluentium et amaricantium vſus, alias praeſtantiſſimus, corticis vſu recte anteeat. Quare quoque celeber ille lapis P. d. P. hac in cauſa in ſubſidium ob ſummam ſuam amaritudinem quin vocari poſſet, non dubitarem. Accedamus ad febres *continentes:* hic DEKKERVS l.c. ait, in febribus vbi ſudores optantur, tanquam optimum commendo ſudoriferum, maximo enim et ſummo cum leuamine eos promouet, et alui deiectionem iuuat. Nec minus laudatur in febribus *catarrhalibus*, vbi decubitus ſeri acris atque ſalſi ad glandulas faucium atque colli, cum angina et minantibus aphthis coniunctus reperitur. In his morborum ſymptomatibus maxime medicamenti noſtri vſum, ſi nempe cum ▽ Card. Benedicti per xx minutas eſſet dilutum, ſudorem ſecutum, vimque morbi mitigatam eſſe, teſtatur. Quibuscum conſentit, teſte BEHRENS, D. Iuſt. SCHROEDER. (Pract. Amſtelod.) Similiter ei in *quotidianis continuis*, poſt quartanam diuturnam tam ſimplicem quam duplicem (vtar eius verbis) maxima ei a DEKKERO tribuitur laus. Vbi enim ſumma virium poſtratio aderat, anxietates, aphthae, ſpasmi, quibus occurri nulla vi, nulla arte poterat, lapidis tamen vi et efficaciae cediſſe, cum tribus ante exacerbationem horis infuſum exhiberetur, aegrotum ſudaſſe, aluum depoſuiſſe, bene dormiuiſſe, ſine vlteriori febris exacerbatione, repetito vero vſu, febres et aphtas penitus euanuiſſe ait. Eosdem effectus ſalutares apparuiſſe contendit p. 668. In febri *continua puerperarum* p. 252. Neque minor laus reperitur in *febri continua tertiana* p. 543. In *febri epidemica* *) cum ſudore frigido

*) Legi quoque merentur ea quae excell. SARCONE in praeſtantiſſimo libro Geſchichte der Krankheiten in Neapel. Zürich, 1770. Tom. I. de Hepa-

extremitatum ſrigore, et conuulſione agonizantium tanta, vt de vita omnes deſperare inciperent pag. 559. In *febrilibus Symptomatibus* vt anxietate, nauſea, vomitu etc. pag. 559. Nimiae forte laudes! ac ſi bili infuſae vis quaedam diuina ineſſet. Certe tanta laudum cumulatio non e veritatis, ſed partium lucriue ſtudio proueniſſe videtur; in quam ſuſpicionem maxime incurrit DEKKERVS, qui, cum ſingulo infuſo nummum lucraretur aureum, facile lucri cupiditate ad nimiam bilis commendationem abduci potuerit. Progrediamur vero ad *febres malignas petechiales*: vbi tamen felicior bilis vſus, plurium confirmatur auctoritate. Teſte quidem DEKKERO maculae euanuere cum febri, aeger cum leuamine ſudauit, placide bis quouis die aluum exonerauit, optime dormiuit atque demum conualuit p. 591. Idem REYGER l. c. dum ſororem omnes habuerunt medici moribundam, tamen bilis ope reſtitutam eſſe refert. Neque minus SEMEDI*) Archiater quondam Reg. Luſit. "Egregium, inquit, eſt antidotum contra febres malignas. Noui „plures, ad quos vocatus ſum eo tempore, quo iam vncti et in agone „conſtituti fuerunt, quos exhibitis ℥iii huius infuſi, a morte liberaui. „Sic quoque praeclariſſimum inueni in ſingultibus a febr. malign. ortis. „Haec dum ſcribo aetate ſum LXXIX, experientiae L." (Mihi perſuaderem de his, niſi quoque Bezoardicum ſuum Curnianum venditaret.) Reſtat vt quod valeat medicamentum noſtrum in *febribus omnibus exanthematicis, morbillis, variolis*, doceamus, huic vero valori mea ex ſententia parum tribuerem. Ea modo hic addere liceat quae praxeos ſunt, quaeque partim ad medicamentum ipſum, partim ad modum exhibendi, ſpectant. Quod vltimum attinet, optime propinatur, cum vino

aut

Hepatidide epidemica ita commemorat pag. 253. Dieſer fiel in eine Leberentzündung und nachher in den Meteorismus. Er ward durch in kaltes Waſſer eingetauchte Tücher, die man auf den Bauch legte, ferner durch Schnee, Rindergallen und antiſeptiſchen Arzneien curirt.

*) Pugill rerum indicar.

aut ▽ Card. Bened. Etenim conſtat iam inter omnes, quanta ſit vini praeſtantia in putridis morbis, vbi ſumma virium proſtratio, vitaeque ſumma deſperatio deprehenditur, vt rite adhibitum inter efficaciſſima referri queat analeptica. Sed vim medicaminis non in lapide ipſo, ſed partibus ſalis volat. ponendam eſſe crediderim. Quae enim de interna eius virtute, quam victus animalis e radice medicata ei largiatur, diſputantur, omnem profecto merentur dubitationem. Solet autem de ipſa ſalis volat. virtute in febribus inter viros doctos diſputari, qua litis diiudicatione non laborabimus, cum ſecundum excell. virorum MONRO, PRINGEL, MACKBREY, MANGETTI, COHAVSEN, auctoritatem, de ſalium praeſtantia affirmari queat, quod putredini citiſſime reſiſtant atque omnium virium proſtrationi occurrant, ſi ſaltem doſeos maxime habita fuerit ratio. Hinc intelligi poterit, quae ſit medicamenti noſtri in febribus curandis vis, quaeque virtus, quid expectari ab eo poſſit. Sed antequam §. finem imponamus pauca erunt monenda de vi Lapidis P.d.P. vt *ſummi antidoti* DIMAS BOSQVE', medicus Valentinus inſignis, GARZIAE AB HORTO*), primus retulerat, ab indico itinere redux, ſe expertum eſſe hancce eximiam virtutem in duobus hominibus, qui venena ſumſerant; quo cum conſentit LINSCOLTVS, qui crebris et domeſticis experimentis iam vulgo notiſſimam et confirmatiſſimam rem cenſet.**) Neque minus antiquitatis confirmatur teſtimoniis. AVICENNA enim de fellibus tauri et hirci ſilueſtris, theriaca eſſe contendit in morſibus venenoſis. Similiter quoque Indi, teſte ALDROVANDO***), hunc lapidem caeteris alexipharmacis longe praeferunt. Adſcribitur denique omnibus antidotorum formulis, ſic e. g. antidoto Bezoardico aduerſus omnia venena FRAN-

CISCI

*) Aromat. Hiſt. L. I. Cap. 46. n. 174.

**) Confer. quoque Caſpari Bauhini Tract. de Lap. Bezoard.

***) Paralip. omn. animal. tit de Hyſtrice. p. 147.

Google

CISCI PONAE *) qui tamen in commiſtione XXXXVIII horum medicamentorum tantum doſin ʒß lapilli noſtri praeſcribit. Formulam quidem ipſam, vt tempori et chartae parcerem, non adſcribendam cenſeo, ſed viri noſtri iudicium hac de re, vt lectoribus riſus praeberem occaſionem. "Haec eſt ait Bezoardica antidotus, a me diuturnis „excogitationibus concinnata, et rationi non minus conſona (abſona „dixerim) quam experimentis evidentibus comprobata, et qua nulli „locum ad praeſtantiora excogitanda relictum eſſe autumo. Parum abeſt quin mihi perſuaderem haec eſſe elocuta ab agyrta medicamentario. Sed ſit clamandi ei poteſtas, nobis iudicandi! nobis, qui cum LINNAEO ratum habeamus, quemque longas remediorum formulas praeſcribentem, aut dolo peccare aut ignorantia. Ne tamen riſu abducamur a ſerio, quandam lapidi noſtro antidoti vim in morſu animalium tribuimus, quae tamen ſolummodo inſit ſali volat. CHARRAS **) enim ſal volat. viperinum in morſu viperarum commendat, et memorabile exſtat exemplum Ill. JUSSIEU. Cum enim ei in excurſione quadam botanica, e qua non raro vel gaudia vel dolores domum reportamus, accidiſſet, vt quendam comitum ſuorum in itinere repentino viperae ictu tangi, manumque iam intumeſcentem videret, neque tamen deſerta in Pharmacopolium nunc mutare poſſet, intendit ingenii vires periculi cogitatione, et feliciter ſatis incidit in ſal volat. aquae Galliae eau de Luçe, quam, more Gallorum, in promptu erat, a qua cum quadam fiducia auxilium nunc exſpectabat. Neque fefellit eum opinio, cum aegrotus medicamenti repetito vſu reconualeſceret. Sed cum praeſtantiora et ſimpliciora teneamus ſalia volat. neque tam multis particulis terreis miſta, quae in lapidis mole appareant, illorum quoque vſum noſtro in hoc, vt in priori caſu, praeferendum eſſe cenſemus. Hinc

non

*) Conf. mod. all. lib. Bauhini.
**) Sur la Vipere.

Digitized by Google

non mouemur eloquentia SEBAE *) qui copioſe hic benignitatem Dei celebrat ita: "Clariſſime hinc immenſa Dei clementia eluceſcit, qui abie„ctiori huic animantium ſpeciei, excellens adeo indidit remedium in vſum „hominis, cum morbis et morte confligantis. Ab aegra animalis bile „natus hic calculus, reuera morboſus, medicamentum fit incompara„bile, ad grauiſſimos et periculoſiſſimos, quibus ab incunabulis ad „tumulum vsque obnoxia eſt vita hominis, morbos."

§. 14.

Inualuit apud omnes ſeptentrionalium regionum populos, Lappones maxime, conſuetudo, teſte HARMES et ROSEN **), medicamentum noſtrum inprimisque fel vrſi non tantum in omnis generis febribus, quas modo recenſuimus, ſed in cunctis aliis morbis, interne adhibendi, adeo vt panacei inſtar habeatur, et in ipſa Haemorrhagia, Dyſenteria, Cholera. Sed nimis forte longior quam par eſſet forem, ſi diiudicare nunc inſtituerem, vtrum mera, quod ſaepiſſime fieri ſolet, appellari queat conſuetudo, eademque antiquata, an ratione nixa et ſuffulta, eademque laudanda. Quare quid valeat medicamentum noſtrum in *Fluxu coeliaco,* quando rite exhibetur, id potius tractandi animus eſt, praeſertim cum hic Perill. a ROSENSTEIN auctoritas et commendatio accedat. Equidem recte ab eo diuiditur in chymoſum et chyloſum; cum ope cadauerum ſectionis hae deprehendantur morbi cauſae, quod vel bilis penitus corrupta ſit, vel ſumma inertia laboret, adeoque hinc fluxus coeliacus chymoſus recte dicatur, aut hepar obſtructum reperiatur, nouaeque bilis praeparatio ita impedita, quin neque ſecerni, neque per ductus biliarios exire poſſit; Quae phaenomena alte-

Apocenoſes.

*) Theſaurus Nat: Tom. I.
**) In diſſertt. inaugg. de medicamentis Lapponum. Recuſae in Haller. disp. practicis, vol, VI.

Digitized by Google

alteram efficiunt morbi conditionem, quam merito appellas fluxum coeliacum chyloſum. Hanc morbi diagnoſin comprobat et ſanandi methodus feliciſſima, qua his mali fontibus, his cauſis maxime occurrere ſtudueris. Quae cum ita ſint, neque conſilium, neque teſtimonium perill. viri repudiari poterit, qui ad ſanandum morbum pilulas, infra ſub rhachitide deſcribendas, ex bile compoſitas ſumere iubet, aegrumque priſtinam recuperaſſe mox ſanitatem teſtatur. Ad hanc §. aeque ac morborum claſſem non temere referentur *calculi veſicae felleae*, quos corrigi et tolli feliciter bilis vſu contendimus. Equidem cum a lapillis felleis aegrotus vehementer crucietur, verno inprimis tempore vſum ſuccorum expreſſorum maximopere ſuaderem, neque minus duabus vel tribus vicibus ſingulo die ℥ß fellis inſpiſſati. Herbae huic ſcopo reſpondentes ſunt Taraxacum, Naſturtium, Cochlearia, Trifolium fibrinum. His optime malo occurres. Quemadmodum enim boues verno tempore, vt antea §. 3. allegauimus, a calculis liberantur vel iuſto corporis motu, vel herbarum recentium eſu, cur machinae hominum animalis, ſed praeſtantioris, emendatio eodem modo quin adiuari poſſet dubitaremus? Deinde conſideretur vitioſiſſima bilis conditio; veſicula enim fellea flaua bile vix amara ſemper repleta reperitur, obſeruante HALLERO *), qui dulcedinem in bile, in calculos coacta, plerumque ſe reperiſſe ait. Corriget itaque fel animalium bilem vitioſam, et reſoluent Herbae expreſſae iam coagulatam. Quae quamquam cum quadam audacia, et confidentia promittimus, non ſpernenda tamen videri poſſunt, cum rationi apprime ſint conſentanea, licet exemplis confirmare non valeamus.

§. 15.

*) Philoſoph. Transact. Vol. XLVI. p. 174.

§. 15.

Ne vero et lineola ſcientibus nobis deeſſet, hancce quoque morborum claſſem addidimus. Etenim quaeritur, num P. d. P. *emenagogis* ſit adnumerandus. Fuerunt, qui affirmarent, praegnantibus non eſſe ob metum abortus exhibendum, inter quos HOFFMANN *) magni pater. Mea quidem ex ſententia non tanta vi, vt abortum pellat, praeditus eſt, cum omnis efficacia lateat in amaritudine et ſali volat. quae omnia ſaltem exaeſtuant, ideoque ad ſummum ſuppreſſos menſes reſtaurandi poteſtas ab eo exſpectari poterit. Parum itaque fidei debetur eam ipſam ob cauſam ANSELMO BOETIO DE BOOT**) qui ridicule ſatis aſſerit, in foeminis malaccenſibus malum ſuppreſſorum menſium velociſſime ſtatimque emendari, ſi modo lapidem manibus tractaſſent teruiſſentque. Epiſcheſes.

§. 16.

Iam cum ad claſſem IV, dolorum quippe tractationem, accedo, ſtatim ab initio a magni viri ſententia quodammodo decedere cogor, qui odontalgiam et otalgiam internis adnumerare ſolet morbis, quos autem Cap. II. percenſebimus. Etenim non video vel rationes vel impedimenta, quo minus in *dolore colico* bili interne applicata vtamur, cum idem iam diu fecerint Lappones. Hi enim, quando torminibus et colica flatulenta vexantur, confugiunt ſtatim ad bilem, vel cum iusculis carnium, vel cum ſpiritu frumenti ſolutam. Neque difficillima res erit moris apud eos recepti, vt laudabilioris, comprobatio, cum in ipſis practicis fundamentis lateant rationes et cauſae, cur prudentioribus eadem Lapponum methodus haud contemnenda videatur, licet apud nos retinendi antiquā conſuetudo ſemel inualuerit. Sed maiori iure in Dolores.

 arthri-

*) Clauis medic.
**) Gemmar, et lapid. hiſtoria. p. m. 356.

arthridite et Rheumatiſmo adhibebis noſtrum medicamen. Nam cum apertiſſima bilis deprehendantur vitia, quod nemo practicis in libris verſatus negare ſuſtinebit, cum ſaepius in cadaueribus, cultro anatomico ſubiectis, absque amaritie aquea et fluida bilis reperta fuerit, ita vt BONETVS in veſicula fellea ne veſtigium bilis aut alius liquidi viderit, quod non minus MORGAGNI obſeruauit, in eo itaque maxime cura atque officium verſabitur medici, vt bilis meliorem praeparationem antea inſtituat, coctionisque vitia purgare feliciter ſtudeat, antequam dolores aegroti efficaciter lenire incipiat. Quod certe eius conſilium in curanda arthridite non fallet bilis inſpiſſata. Ad *rheumatiſmum* quod attinet, cum quo fere ſemper inflammatiunculam coniunctam eſſe conſtat, plus a venae ſectione in eo curando exſpectarem, quam a bilis vel P.d.P. vſu, quem tamen quam plurimi medicorum ſuadent, vt SEMEDI, p.15. qui in doloribus et puncturis laterum, a frigore ortis, egregie eum agere contendit. Acutum autem intelligo; nam in chronico rheumatiſmo res aliter ſe habet et in hac cauſa externus vſus haud contemnendus videtur. Angli eo cum proſpero ſucceſſu vtuntur; ſic enim LEWIS*) "nobis, ait, cum ſpiritu Camphorae in „vſu eſt ad embrocationes in rheumatiſmis." Tandem ad hoc morborum genus referendus erit *Podagricus* morbus, cuius ſumma cum arthridite cognatio; quanquam a nonnullis pro diuerſo habetur. In ipſo quidem paroxiſmo a bile abſtinebis, cum autem ſemper imbecillitas viſcerum talis adſit, quae chyli melioris praeparationem impediat, hic quoque optime aegroto noſtro cum medicamento conſuletur.

§. 17.

Spasmi. Peruenimus ad praecipuum fere diſſertationis noſtrae caput, quod paulo copioſius et fuſius pertractare argumenti ipſius grauitas, vel potius diffi-

*) William Lewis Mat. Med. Lond. 1768. 4. p. 269.

difficultas poſtulare videtur. Ad eos quippe morbos ſpasmodicos, qui cruciatibus humanis miſerrimis adnumerari. poſſunt, quique vel epilepticae vel hypochondriacae et hyſtericae nuncupantur affectiones. In ſingultu enim, vomitu, tremore, palpitatione cordis, ſymptomatibus febrium, quae hic ſit bilis vis, de ea in febribus egimus. Videmus eiusmodi aegri miſerias, non ſine animi commotione, optat quisque auxilium, nec raro in ſolis optatis acquieſcere cogimur. Pauca enim ſunt remedia, quae morbum frangant; neque laudatiſſima medicamina in quouis aegroto efficaciam produnt. Raro obueniunt exempla, vbi medicaminum ope morbus plane tollatur, ſi modo leuetur. Optimo quidem cum ſucceſſu modo valeriana, modo Vitriolum Martis, modo viscus quernus, praeſcribitur, ſed neutiquam in quouis aegroto valent. Tanta medicaminum fraus, tam frequens fiduciae amiſſio, tantum virtutis diſcrimen, haec mala omnia oriuntur ex abſconditiſſimis epilepſiae cauſis; modo enim a pituita, modo ab acido, modo a cruditatibus, modo ab acrimonia, modo a vermibus prouenit morbus iſte peſtiferus. Quarum quae vera ſit cauſa, quae cadat in aegrum, id certe definire atque coniectando aſſequi difficillima res eſſe videtur. Cum autem ex his cauſis malum oriatur, quod omnium fere medicorum tulit comprobationem, non exigua profecto erit in ſanando morbo bilis efficacia, cum omnibus his morbi indicationibus natura ſua conueniat, adeo vt ſaeculo noſtro gratulari quodammodo poſſimus, quod atrociſſimo morbo efficaciſſimum opponere remedium didicerit. Efficaciſſimum inquam, cum coniurationi quaſi plurium morbi cauſarum ſimul reſiſtat, cum reſoluat pituitam, corrigat acidum, euacuet cruditates, diſſoluat acrimoniam, necet denique vermes. Loquimur enim de epilepſia ſympatica, vbi cauſa morbi in aliis regionibus latet non in capite. Altera enim idiopatica admodum rara merito habetur, ita vt inter c numero aegros epilepticos, xc certe ſympatica vexentur. In hac autem

 epi-

epilepſia ab antiquiſſimis temporibus laudatur bilis vis. Ita enim arabs AVICENNA: epilepſia, ait, felle vrſino tollitur; conſentit cum eo GESNERVS, et Finnica gens. Nota quoque eſt panacea borealis *). Quare HOFBERGIVS, acutiſſimus vir, in eo erraſſe videtur, quod huius rei inuentorem ſe haberet, quamquam de medicamento optime eſſet meritus. Sed forte noſtro medicamento ſine cauſa haec tribuuntur elogia? quod certe nemo niſi vel inimicus vel ignarus hiſtoriae recentioris affirmare poterit. Quis rerum medicarum ſtudioſus acta anni 1746 plane ignorat? cum WANEBERGII viri reuerendi ſtudium in remedii epileptici inuentionem feliciter collatum annuo praemio a Sueciae ordinibus ornabatur. Conſtat autem inter omnes, id praeparari e bile vrſina, et floribus liliorum conuallium. Saepius inde miratus ſum, cl. TISSOT *) ne verbo quidem noſtri medicamenti mentionem feciſſe. Sed ad bilis in hac cauſa commendationem valent recentiſſima et exempla et teſtimonia. Exc. enim HOFFBERG **) militibus duobus matutino et veſpertino tempore dedit fellis inſpiſſ. ʒj, et intra ſpatium XXIV dierum de eorum reſtituta ſanitate laetatus eſt. Porro eiusdem bilis vſus per aliquot dies paroxysmum in alio aegroto leniuit, et rarius redire fecit, tandemque poſt VI hebdomades euanuit prorſus, poſtquam ſingula alui deiectione ingen-

*) Exſtat huius medicamenti compoſitio in cl. HAARTMANNI Prof. Oboens. libr. cui tit. De optimo methodo curandi morbos chronicos etc. p. 254. Eſt vero ℞. Rad. Gentianae. Angelicae ana unc. dimid. Allii decort. drachm. jjj. Fell. vrſin. drachm. jj. Caſtor. unc. dimid. Spirit. frumenti libr. jj. M. ſtent in digeſtione per aliquot dies. vel quoque ℞. Fell. vrſi. Caſtor. Aſſ. foet. Camphor. Allii ana unc. dimid. Spirit. frum. libr. jj. M. ſtent in Digeſtione. Laudantur haec praecipue medicamenta in Epilepſia et affectionibus ſpasmodicis, ſequens vero in paſſionibus hyſtericis. ℞. Fell. vrſi. Allii ana unc. j. Aſſ. foet. drachm. j. Spir. Carni canth. j. Digere in Vitro per aliquot dies.

**) Traité de l'epilepſie. Paris. 1770.

***) Act. Suecica. Vol. XXVII. p. 327.

gentem viſcidi copiam aeger exonerauerat. His accedit alia huius morbi in ſanguinei temperamenti aegro deſcriptio: Epilepticus ille quoque die xx et pluribus cruciabatur paroxyſmis, praecipue quando irae ceſſerat. Propinabatur fruſtra radix. Valerianae, Poeoniae, et viſcus quernus, donec eum, ait auctor noſter, bis ſingulo die ʒj fell. tauri cum ℥j vini gallici ſumere iuberemus, tum ſequenti die paroxiſmorum numerus decreuerat, in ſpatio xxiv horarum, ad quaternum. Quousque pergebat in medicamenti vſu, ſaburra viſcida vario modo e corpore partim vomitu, partim ſaliua, partim denique alui exoneratione eliminabatur, poſtque trium hebdomadum interuallum morbus ceſſabat, quae autem morbum comitari ſolet ſtupiditas ea tollebatur paulatim venae ſectione, tandemque reſtitutis viribus, ope aquarum medicatarum earundemque vſu per vi hebdom. continuo laetabundus ad patrios lares mittebatur. Vltimum denique quod profert exemplum infantis eſt vii annorum, in quo epilepſiae cauſa latebat in vermibus, isque eodem modo breui conualuit. Quae omnia non obſcure declarant, haud exiguam eſſe bilis vim aduerſus Epilepſiam e viſcido et pituita ortam. Sed non minus valet etiam in aliis morbi cauſis, cuius rei auctor mihi eſt Vir ill. RICHTERVS (cui quod publice gratum animum declarare poſſim mirifice laetor) in practicis ſuis praelectionibus. Quam quidem ſententiam non theoreticis tantum confirmatam ab eo rationibus audiui, ſed practicis quoque fundamentis et creberrimis experientiis ſuffultam accepi. Et duo haecce exempla pro liberalitate ſua beneuole nobiscum communicauit, quo beneuolentiae teſtimonio me obſtrictiſſimum habeo habeboque ſemper. Ruſticam quandam, aetatis xxx — xl annorum, rapuerat repentinus horror, tertia, poſt partum feliciſſimum, ſeptimana in Epilepſiam, quae plerumque intra ſpatium octo dierum non fixo tempore, ſemper tamen ſemel, et inopinato quidem redibat. Nihil amplius, antequam ea afficeretur, ſentiebat aegra quam diem ante quendam in fronte

te dolorem obtuſum cum tuſſi ſicca. Cauſa vix vlla huius mali a me cogitando poterat effingi. Per octo dies pergebam in vſu Valerianae ſed fruſtra; confugiebam ad bilem taurinam, aqua dilutam, ita, vt quouis die ℥iß praeſcriberem. Nec vnquam rediit peſtiferum illud malum. Puer porro, aetatis $2\frac{1}{2}$ annorum facie cachectica et ventre, non ſemper, ſaepius tamen intumescente, cruciebatur quoque ſaepiſſime, neque tamen fixo tempore, epileptico malo. Antea iam ſaepius adhibita erant contra vermes medicamenta. Sed poſt fel. taur. cum ▽ et Syrupo aurantior. dilutae vſum, ceſſabant paroxysmi. Tribus quidem vicibus, quod ſingulare erat, cum alias quouis die vnico ſolummodo vexaretur, rediit paroxysmus tertio poſt bilis vſum die, ſed deinde euanuerunt omnes. Sic quoque in infantibus epilepticis, vbi cauſa tam ſaepe in coagulo caſeoſo ponenda eſt, noſtrum medicamentum alia ſuperare, iisque praeſtare maximopere, id ex infra dicendis planiſſime intelligi poterit. Sed conſentiunt etiam nobiscum GEOFFROI*) qui guttas II-III-VIII ſumendas ſuadet, (nimis parua forte doſis) HOFFMANNVS pater**) et ACTA HAFNIENSIA***) vbi bilis cum ▽ epileptica Langii commendatur. Quare nemo eandem laudem et P. d. Porco a multis conceſſam mirabitur. Sic enim BEHRENS l. c. de aegroto refert, qui quotidie paroxismo corripiebatur epileptico, ſed cum nondum dimidia pars lapidis conſumpta ab eo erat, conualescebat. In tanta tamque varia exemplorum multitudine, quae bilis efficaciam in Epilepſia teſtantur, non eſt quod amplius medicamenti noſtri obtrectatores audiamus, inter quos primo loco ponatur DANIEL LVDOVICI****) qui epilepticis fruſtra a ſe eſſe datum contendit.

*) Mat. Med. pag. 383.
**) In claue enim ſua Principis cuiusdam Bukengami filium felle curatum eſſe commemorat Conf. ALBERTI Reſpondente CORDES diſſ. de bilis natura et vſu medico, Erford. 1691.
***) Vol. III. obſ. 20.
****) Opera omnia Franc. ad Moen. 1712. p. 220.

tendit. Sed vnica haec tantum in contrarium eſſet ſententia, neque ideo metuenda. Quod ſi vero eodem iure medicamenti noſtri auctoritatem defenderemus, quo in nonnullis Diſpenſatoriis quorundam e bile praeparatorum aſſeritur, tunc forte ridicula, niſi abſurda ſententia affirmari a nobis prudentioribus videri poſſet, nec quidquam haberemus quod TRILLERI verbis opponeremus, qui de corvo epileptico Pharmacop. Batean. *) ita ait. "An miſer hic cor„vus, coctus aut vſtus - - - addita etiam amara fellis veſicula - - - fu„gare et abigere poſſit dirum illum morbum epilepticum, de eo qui„dem nos adhuc valde dubitamus et dubitant nobiscum, quod ſatis ſcio, „omnes prudentiores et peritiores medici." Quod tamen in ſimpliciſſimum bilis vſum, qui tales compoſitiones fugit, cadere non poteſt cum ratio et experientia eum defendant. Altera §. noſtri parte, accedimus *ad Hypochondriacas et Hyſtericas affectiones*, quarum illa vitam ſedentariam comitatur, haec ſexum ſequiorem vexat, cumque hic vltimus, teſte SYDENHAMO, fere ſemper in obſtructis visceribus, quorum numerum in foeminis vterus auget, originem habeat, ſponte intelligitur, non temerarie in eo curando morbo ad bilem confugi cum quae in hoc morbo appareant ſigna, iis optime conueniat, quod non minus experientia confirmatur. In hac cauſa enim P. d. P. commendatur a SEMEDI **) qui eum tam efficax appellat remedium, vt diuinum videatur. Eandem in bilis vſum obſeruationem communicauit mecum OPTIMVS QVIDAM ET DOCTISSIMVS AMICVS his verbis. "Dreſ„denſibus maxime medicis, viris et doctrina et peritia conſpicuis, quibus „ipſe Sereniſſimus Princeps ſuam commendauit ſalutem, Elix. viscerale cum

*) p. 30.
**) Pugill. rer. indicar. p. 15.

„c. bile ▽ſum*), vt et Elix. viſcerale ſpirituoſum cum bile**) praecipue „in vſu eſt. Frequentiſſime et optimo ſemper cum ſucceſſu praeſcribitur „ab illis, praeſertim in hypochondriacis affectionibus, et iis, vbi ob„ſtructiones cauſae morbi tollendae ſunt, indicationibus."

§. 18.

Adynamiae.

Hancce dum diuiſionem morborum pertractamus, eos ſolummodo ſpectemus, quorum cauſa latet in vitiis ventriculi et coctionis; in iſtis enim corrigendis interne bilis adhibetur, cum in caeteris ad hanc claſſem pertinentibus morbis vſus eius tantummodo externus habeatur, de quo paulo infra videbimus. Ducunt autem coctionis vitia originem modo e bile nimis aquoſa, modo e debilitate viscerum, neque minus a flatibus, et ventriculi ſaburra glutinoſa. E quibus quidem cauſis oriri poteſt vel apepſia vel dispepſia vel apthora, quibus malis optime mederi cenſeo bilis ope, ita vt ſuadente cl. BLOCHIO fellis taurinae ʒß pro doſi ſumas et quotidie quidem ʒj, qua aluus leniter ſoluitur, ſic optime morborum viribus reſiſtes; ſi vero aegroti diſpoſitio ad diarrhoeas prona, tunc optime illi medicamentum cum ▽ cinnamomi propinabitur. Notabile ſane hanc in rem laudauit exemplum ill. BLOCHIVS, e quo intelligi poterit, quantum ſalutaris vis inſit bili, ad emendandos corrigendosque etiam huius generis morbos. Puella quaedam valde ructibus acidis et acido primarum viarum laborabat, leniter euacuantia dedi, deinde Extr. amara cum liquore Terr. fol. Tartar. ſed nullo modo ſtatus in meliorem mutabatur partem. Interdicendum eſſe vſum lactis intelligebam, et fructuum, et olerum et totam fere diaetam vegetabilem

et

*) ℞. Extr. aloes aquos. Fel. taur. inſpiſſ. Myrrhae. Terrae fol. Tartar. ana unc. dimid. digere et ſolve in ▽ carminat. ſ. v. unc. vjjj.

**) ℞. Aloes depur. Myrrhae ana unc. j. Croci orient. Fel. taur. ana unc. dimid. Terr. fol. tartar. unc. j. Spirit. vini rectif. unc. xvjjj. Fiat Elix.

Digitized by Google

et quam ſaepiſſime magneſiam praeſcribendam, quae vero fruſtra omnia atque ſine proſpero ſucceſſu; ad vltimum confugiebam ad fel taur. cuius ℥ß dedi. Cum autem hic diarrhoeae orirentur, cum ▽ cinnamomi coniungebam, ſic breui tempore et diarhoea et acidum tollebatur. Similiter WIDEMANN *) effert laudibus bilis peregrinae vſum, eumque commendat ad reſtaurandam bilis naturalis et propriae ſanitatem eiusque vitia corrigenda, non minus quam ad praecauendam eam hecticae ſpeciem, quae ex digeſtionis deprauatione originem trahit; teſtatur enim ipſe, ſe eiusmodi aegrotis non ſine fructu carpionis piſcis integram bilem tribus vicibus deglutiendam praebuiſſe, cuius nulla auxilii excogitari poteſt cauſa alia, quam quod omnis mali fons in bilis vitio latuerit, quo huius ope emendato aegri ad priſtinam redierint valetudinem. Facile hinc eſt intellectu SWIETENII **) illud, nauſeam omnem a lento muco productam, cui amaris abſynthiisque mederi ſolent, non minus feliciter corrigi atque tolli poſſe bilis e ſanis animalibus petitae adiumento. His addere liceat hoc vnum, ad reſoluendam lactis in infantibus coagulationem bilem non parum conducere, quam ſententiam ſimiliter auctoritate Ill. *van* SWIETEN***) comprobamus; paruam enim ad hunc ſcopum doſin tenellis commendat. Commendatio autem ipſa nititur experientia a vitulis ſola lacte vtentibus petita; in eorum enim primo ventriculo iam in caſeum et ſerum lac mutatum repertum eſt, qui quidem caſeus, in ſecundum et tertium delatus, ſenſim lentior et craſſior, in IV vero ventriculo exſuccus fere inuenitur, e quo deinde in duodenum defertur caſeus, miſcetur cum eo bilis, totusque reſoluitur. Cur itaque de bilis efficacia dubitaremus? Alium memoratu dignum caſum Ill. ab HALLER****) poſteritati tradidit. Ad ſuperandam podagram cibi loco vtebatur ſolo lacte. Poſt aliquantum tem-

*) Diſſ. cit. §. 14. **) Tom. III. pag. 22. ***) Commentar. in Aphor. 63. et 69. diu. Boerh. ****) Prael. Acad. Boerh. T. I. p. 99.

temporis queſtus eſt aegrotus de miſerrimis angoribus, tandemque euomuit maximos turundos caſei, ab oeſophago in rotundam figuram preſſos vidit BOERHAVIUS, quae mala omnia fieri, ait, ob defectum bilis: dedit ſaponem venetum cum bile permixtum, et protinus lac absque noxa aſſumſit. Nonne itaque norma practica foret ſemper, ſi lac curandi methodo i. e. quantitate adhibetur, iſtiusmodi pilulas praeſcribere, et in priori caſu medicamento infantum ROSENSTEINIANO, notiſſimo quidem ſed optimo, paruam quoque bilis addere doſin?

§. 19.

Cachexiae. Tandem perueniemus ad vltimam morborum internorum claſſem et ad cachexias quidem. Generaliora hic praemittenda, quibus deinde aliorum experientias addendas eſſe exiſtimo. Primum enim poſtulati inſtar habetur hoc, quod in eiusmodi aegris, vbi lentum illud pituitoſum (glutinoſum ſpontaneum BOERHAVIUS dixit) cumulatum reperitur, cauſa huius morbi omnis lateat in bilis vel defectu vel inopia. His conceſſis nihil aegro magis conuenire videtur, quam vt bilis defectus ſuppleatur, eiusque vitia corrigantur, idque vel bile fieri opinamur ex alio animali, vel vſu plantarum amararum. Prius maxime ob maiorem humanae naturae conuenientiam praeferendum videtur. Vtque eo melius ſecuriusque voti compotes fiamus, miſceatur cum ſapone veneto vigeſima plerumque bilis inſpiſſatae pars. Sic bile vſus eſt Ill. BOERHAVIUS, HARTMANNUS, et de GORTER. Sed inter ipſos huius generis morbos, bilis vſu feliciter victos, primum locum meretur *Icterus*: regius ille morbus, a regiis ſumptibus ita vocatus, quos teſte CELSO l. III. c. XXIV. curatio eius efflagitat. Optime corrigitur bilis vſu, quod nunc confirmabimus. Diuerſiſſima eſt morbi origo, vbique vero bilis accuſanda, ſtatusque eius praeternaturalis. Sic bilem

ſub-

Digitized by Google

ſubobſcuram vidit MORGAGNI *), alii vero albicantem obſeruarunt. Quare non mirum, quod antiquitati iam medicamentum noſtrum probaretur. Ita GALENVS vrſinum fel ad fabae magnitudinem magna aquae copia diluta ad ſuperandum icterum ſuadet. Cur vero veſicae felleae, imprimis calculi, vnanimi conſenſu ad morbum illum ſuperandum laudentur, id ſane magis admirationem quam adprobationem meretur. BAVHINVS enim l. c. de Iudaeis refert, eam ipſam ob cauſam, diligentiſſime a laniis quaeri in Barbaria; neque minus, quotquot adferemus deinceps teſtimonia auctorum, bili bouinae coagulatae tantas eſſe tributas laudes, demonſtrabunt. Sic in diſſertatione cel. SCHMIDT **) exſtat morbi icterici hiſtoria ab excell. WIDEMANNO, (Phyſico Reip. Norinbergenſis, ſuique aeui practico experientiſſimo), ita fere conſcripta. "Optimo cum ſucceſſu ℈ß - ʒß - ℈ij in ▽ cichorei aut fumariae „ictericis dedi, non cum aliis remediis miſta, ita vt alternis diebus „eius vſus repeteretur. Spectaui maxime hoc, quod recens eſſet lapillus, „vtpote bilis genuinae balſamicae indolis eiusque virtutis incidentis ad„huc magis particeps, eiusque egregiam efficaciam ſaepius animaduerti." Recte iudicat auctor, cum effectum omnem exinde demonſtrari poſſe exiſtimet, quod fermenti inſtar corruptam et deperditam bilis naturalis, eiusdemque homogenei qualitatem balſamicam denuo reſtauret. Cui alia experientia auctoris accedit, qui laudabilem efficaciam lapidis illius frequentius non tantum in ictero flauo, ſed etiam in ipſa incipiente et iam progreſſa cachexia icterica, (quae alias icteri nigri nomine venit) deprehenderit, neque raro ſolius lapidis vſu, ſi quoque parua admodum ſalutis ſpes eſſe, icterum cito atque tuto propulſum viderit. Sic quoque M. N. C. ***) tradunt, lanionem quendam lipſienſem pul-

*) Epiſt. XXXVII. 2.
**) De vſu bilis primario. Altorf. 1728.
***) Dec. II. annus X. in append. p. 51.

Digitized by Google

uerem e lapide paratum icтericis vendidiſſe non ſine admirando effectu, maxime ſi ℈j in vino propinaretur. Similiter ſupra dictus REIGERVS*) rem noſtram binis comprobat exemplis. Cum antea Sal Abſynth. et Centaur. minor. fruſtra erat adhibitum, in combinatione cum noſtro medicamento eadem egregia praeſtiterunt auxilia, eorundemque ope, infuſo quippe vinoſo, icterus niger (id quod certe mirum), aeque feliciter eſt ſuperatus. Elixirium ſupra deſcriptum viſcerale in noſtro caſu maximopere commendatur, quemadmodum non minus Piedra del Porco laudes paſſim inuenies, ſic in ictero calculoſo extollitur in ALBRECHTI diſſertatione**). Ne vero nimis ſim longus, fontes ſolummodo, ex quibus multa exempla haurire queas, indicabo. In VALISNERI operibus, SACHSII gammarologia, KRAMERI medico caſtrenſi, et SCHVRIGII lithologia hiſtorico medica. Sed cum meum ſit ex effectu eius vſum diiudicandi, libere fateor, calculorum vſum non ita probari, vt bilis ſanae, a qua maiora merito exſpectare poſſis, quod et Anglorum***) confirmatur auctoritate, quibus bilis vſus in obſtructionibus ductus cyſtici optimus videtur, licet ſummam eius amaritiem metuant. Iam ad alterum progredior morbum *Rhachitidem*, praecipue in infantibus obuium, cuius cauſa princeps in defectu bilis veſiculae felleae latet, vnde a vermibus aeque ac ab acido primarum viarum eiusmodi aegri plerumque vexantur. In tam aperta morbi cauſa haud difficile eſt inuentu, quae iuſta facienda ſit morbi indicatio, quaeque ei opponenda remedia. Sponte ad bilem ducimur, cuius vſus auctoritate quoque maximorum virorum confirmatur. Ita ROSENSTEINIVS ipſe nobis methodum praeſcribit, qui ſaponis veneti gr. x. Fell. tauri grj. Rad. ari gr. iv. forma pilularum dedit, ſic vt pilu-

*) E. N. C. dec. I. ann. 3.
**) De ictero ex calcul. veſic. fell. §. 7.
***) ALSTON's Lectures on the Mat. med. vol. II. London 1770. 4.

Digitized by Google

pilulae IV, grjj nempe, ante prandium, et IV ante coenam ſumerentur: vel quoque ℞. Offae Helmont. gr. IX. Fell. tauri grj. f. c. puluere ari q.s. pilul. pond. grjj. S. eodem modo. Hic vero V - ad VI praeſcripſit pilulas. Praefert Ill. auctor cum offa factam propterea, quod bili hominis naturali et proprio magis accedat. Tantae auctoritatis teſtimonio adiungamus aliud BÜCHNERI **) "Altera indicatio haec eſto, „rhachitico breui a paſtu bilis inſpiſſata, aut ſapo venetus, aliquo cum „oleo praeparatus offeratur. Quippe rhachiticis bilis deeſt, atque hinc „nullius conſiſtentiae ſeu cohaeſionis ſanguinem, et mucoſos humores „ſortiuntur. Quare hunc defectum emendaturus, a paſtu ocyus ac chy„mificationem peractam eſſe iudicabis, bilem, vel ob oleum vim bilis „vicarium ſaponem ſubiunges. Sic enim cum oleo aut bilis aut ſaponis „combinatus chymus, in verum chylum ac lac, ac inde in ſanguinem „debitae conſiſtentiae nec mucoſum abibit. His adde, acredine bilis „aut ſaponis incitato motu periſtaltico primam digeſtionem adiutam „iri, atque ex parte primae indicationi acria et ſtringentia poſtulanti, „ſatisfieri." Conſentit denique nobiſcum diuus BOERHAVIVS. In *Chloroſi* tandem nuperrime BLOCH l. c. magnos ab ea vidit effectus, ſi vini chalybeati HBar. amaricantium et aromatum vſus fruſtraneus fuerit. Sic quoque Generos. *de* GORTER formulas ſub n. 205. huc referendas, eſſe cenſeo, ſed cur ab eo bilis porcinae vſus commendetur, non intelligo? De *Hydrope* quaedam adhuc tanquam vltimo huius generis morbo monenda ſunt. Valet et hic bilis vſus praecipue, ſi venerit a bilis praeternaturali ſtatu, et ſi ex quartana febri orta fuerit. Pro more noſtro laudabimus primum teſtimonia hanc in rem a viris grauiſſimis, a KOENIGIO**) et COMMERCII NORICI SCRIPTORIBVS edita. "Ille ait, corrigit ſegnem in hydrope bilem fellis bouinae eiusdemque recentis balſamica vis, neque

*) Diſſ. de Rhachitide recenſ. in HALLERI diſſ. pract. vol. VI. §. 36.
**) Koenig in Regno animali. p. 274.

„neque contemſerim pilulas ex eius Extracto c. Spirit. vini factas.“ De lapide Piedra del Porco quoque exſtat exemplum, praecipue Tinct. cuiusdam ex vino rhenano, et Spirit. Sal. Ammon. paucisque guttulis Spirit. Vitrioli concinnata. Negari quoque non poteſt, ridiculas ſaepius hoc in morbo cum bile formulas inueniri. Sic pilulas commendatas inueni ex radice Ginsing, cerebro et felle ſuillo. Quod ad radicem Ginsing attinet virtutem quandam ei non denegauerim, caetera vero quisque ſanus deridebit. Atque hic primo Diſſertationis capiti finem imponamus, cum reſtent ea, quae de bilis vſu externo moneri poſſunt et debent.

CAPVT II.

De vſu externo.

§. 20.

Neſcio profecto L.B. vtrum vltimam hancce commentatiunculae partem priori difficiliorem appellem nec non. Etenim vſus bilis internus a nobis efflagitat facile vel laudem vel vituperationem, quo magis cauſae ad vtrumque diiudicandum in promptu erant. Hic vero dubius erro, cum modo ab experientia ſummorum virorum ducar, modo aliorum exemplo, licet minoris dignitatis, ad contrarias partes cogar, neque illos negligere in cauſa noſtra aequitatis eſt. Quae quidem iudicandi difficultas non de omnibus huius ſectionis §§. valet, ſed in vniuerſum eſt accipienda.

§. 21.

§. 21.

Sunt itaque quidam morbi externi, vbi bilis vſus, vt praeſtantiſſimus, cuique probatur, maxime ob virtutem eius anthelminticam quam omnes ei tribuunt. A *vermibus* itaque ordiamur, cum in hoc morbo, tam externe quam interne adhibeatur. Laudatur noſtrum medicamen a SPIELMANNO *) aeque ac a CRANTZIO **) qui ſi externe umbilico illinatur anthelminticum eſſe contendit, quod ſoluatur in oleo Abſynthii. Cum his conſentit magnus BOERHAVIUS ***) et recte HEINSIO ****) anthelminticum naturae apprime conſentaneum eſſe videtur. Et Pietr. d.P. quidem multum tribuit BEHRENS *****) a felle ovillo multa ſperat WILHEM TEN RHYNE ******) a taurino TRILLERUS *******). Is enim de extracto quodam ſic dicto umbilic. purgant. Doereri ita iudicat. "Commodius eius loco ſubſtituere „mallem aloen hepaticam et cicotrinam, vna cum felle taurino „quae non ſolum aluum laxant, ſed et ſimul vermes, forte in inteſtinis „puerorum nidulantes, vt fieri frequenter ſolet, potenter expellunt." Denique omnibus his reſpondent ea, quae in ROSENSTEINII et BLOCHII libris exſtant. BLOCHIUM exſpectatio de bile capta in vermibus necandis nunquam fefellit, neque infantibus ingratum fuit medicamen, maxime ſi cum vino hiſpanico ſoluta et cum ſaccharo miſta exhiberetur. Contra ipſam *taeniam*, hydram illam peſtiferam millia ſui generis in vnam ſeriem connectentem, id quod nuperrime ami-

Vermes.

*) Mat. med.
**) Mat. med.
***) Prax. med. P.V. §. 1352.
****) Pharmacia rationalis.
*****) Breslauer Sammlungen, l. c.
******) Meditat. ad Hippocr. pag. 107.
*******) Theſaur. Pharmac. pag. 340.

Digitized by Google

amicorum meorum optimus exper. BLVMENBACH firmiſſimis in Societ. Regia ſcientiarum *) probauit rationibus, ſummo cum effectu exhibuit. Laborabat **) enim puella XIX annorum tam enormi taenia, vt e calculo BLOCHII plus mille vlnarum comprehenderet, cum vltima ſaltem quae eliminaretur pars, LX vlnarum haberet menſuram. A leniter purgantibus nullum vidit effectum, a draſticis autem optimum, ita vt vſu fellis taurinae et reſinae ialappae ana gr. xv. feliciter aegra reſtitueretur. Quod vero *lumbricum teretem* attinet, cum eo experimenta multa inſtituit cel. ROSENSTEIN ***) quae publicum in vſum communicauit. Si aegrotus poſt anthelminticorum vſum fixum quendam pungentem ſentit dolorem, quem ſaepius comitantur conuulſiones, eo ipſo vermium ſedes eſt detecta, tumque proſpiciendum eſt, ne inteſtina ab illis perforentur, cui occurris optime cataplasmate ex ſummitat. Abſynth. Allii, farina, et felle taurino. Eandem praeſcribit formulam, ſi aegrotus omnis medicinae internae recuſaret vſum. Eiusdem quoque virtutis erit auctore ROSENSTEINIO et HOFFBERGIO ****) ſi in morbis acutis aeger ſubito a vermibus cruciaretur, maxime ſi periculum quoddam ex vſu aliorum anthelminticorum eſſet metuendum. His ſummorum practicorum obſeruationibus addamus compoſita illa, cum bile vt anthelmintico, facta medicamina, quae in variis diſpenſatoriis occurrunt. Sunt vero vnguenta, emplaſtra, olea, ſuppoſitoria. Ad unguenta quod attinet, primum ſe offert, *Vng. purgans anthel. Boerhavii* *****). Optima eſt compoſitio, optimi viri. Paulo aliter res ſe habet cum *ung. de athanita* ******) quod pariter vt *ung. ad lumbricos*

*) Göttingiſche gelehrte Zeitungen vom 4 Dec. 1774.

**) BLOCH n. m. B. pag. 99.

***) Von den Kinderkrankheiten pag. 408.

****) In Schwed. Abhandl. Tom. XXVII. p. 328.

*****) ℞ Fell. taur. aloes ana ℨj. Vng. Altheae ℥j M. S. Inungatur pauxillum loco vmbilici.

******) Conſ. Pharmac. Vltraiect. Wurtenb. Brandenb. Hamburgenſ. Londin. (etſi in nouiſſimis deeſt) et reliq. fere omnium.

bricos *) propterea minus placet, quia ab acrimonia medicaminum, maxime protracto a eorum vſu, metui facile poſſit diarrhoeae adiuuatio, et vomitus praeſertim irritatio, imo in infantibus tenerioribus conuulſionum initia. Emplaſtra contra vermes reperiuntur in Pharm. Hamburg. Würtenb. et Batean. Imponuntur abdomini puerorum, alia medicamenta reformidantium, quo vermes necantur, atque aluus mouetur **). Sed his non ſolis confidendum exiſtimamus; nam praebent aliis medicamentis, recte adhibita, manus tantum auxiliatrices. Ad olea pertinet oleum colocynthidis ***) et oleum Habacucinum ****) quod tamen (etiamſi diuo Habacuco, vt putant, debeatur) cum ob ſummam acrimoniam, tum ob nimiam quantitatem (℥ß fellis) plane rejiciendum eſſe cenſeo. Reſtant Suppoſitoria *****) contra vermes. Aſt plane non intelligo, quid ſuppoſitoria contra vermes? Quod ſi enim lumbricis dolores aegri tribuantur, certe ad eorum vsque ſedes non penetrat ſuppoſitorium. Sin aſcaridibus opponatur, nocet, nocebitque; nam retractio earum in inteſtinum rectum eo promouetur. Contraria ſane indicatio! Exſtant denique formulae nonnullae in GORTERI et HARTMANNI ******) libris, quae iuſte adhibitae optimos forte praeſtabunt effectus.

§. 22.

Si vnquam in re L. B. fluctuaui, ſi vnquam iudicium ferre metui, in hoc ſane mihi accidit titulo, vbi de bilis vi in oculo- Morbi oculorum.

 rum

*) Pharmac. Batean.

**) Aluum enim vſu bilis moueri confirmauit ROBERTVS RAMSEY in praeſtantiſſ. diſſert. chemica de bile Edinburg. 1757. Recuſ. in cl. SANDIFORT Theſaur. Diſſ. Vol. II. pag. 560. Rotterd. 1769. 4.

***) Conf. Pharmacop. Würtenb. Argentorat. Ratisbonenſ. et Vinenſ.

****) Diſpenſatorii Vienenſ. et Pragenſ.

*****) IVNKER conſpect. formul. pag. 112.

******) Formul. ad. cl. CRANTZII mat. med.

rum morbis erat decernendum. Certant inter ſe ſummi viri, alii extollunt laudibus, alii vſum damnant, et fruſtra adhiberi et adhibitam eſſe contendunt. Omni profecto tempore, omni aetate bilis a viribus diſſoluentibus celebritatem nacta eſt; imo apud omnes gentes apud GRAECOS*), apud ARABES**) vbi praecipue fel crocodili, apud CHINENSES vbi fel elephanti apud EVROPAE denique incolas. His laudibus repleti ſunt omnium aetatum libri, adeo vt profecto de meis viribus in dirimendis noſtra aetate litibus deſperem. Hoc itaque agamus, ut laudum teſtimonia non minus quam vituperationis materiam iudicio veſtro L.B. commendemus. Equidem ad tot tantasque bilis in hac cauſa laudes ***), antiquitati probatas, forte multum niſi omne contribuit hoc, quod in ipſis libris ſacris laus eius inueniretur, adeo vt omnis antiquitas religioni ſibi duceret, tueri bilis celebritatem, cum diuinae videatur originis. Hinc intelligitur, quomodo per tot ſaecula ****), (MMCCCLXXV) conſeruata ad nos venire potuerit medicamenti commendatio. In quibus autem oculorum morbis adhibuerint, iam videamus. In *albugine* primum s. *Leucomate* et *unguibus*, morbo iſto, a quo Tobias medicamenti noſtri ope ſanabatur: vt ex diſſert.cl. MAVCHART*****) fuſius patebit. Commendatur porro a Q. SERENO SAMMONICO p.7. FORESTO******). BOSCHIO. ETMÜLLERO*) DEMETRIO**), et

*) GALENVS ad Piſonem cap. IX. MARCELL. empir. l. 20. n.40.
**) IANVS DAMASCENVS l. IV. cap. IX. SCHAW trauels p. 252.
***) Conf. catalog. quoque auctor. in BARTHOLINI morbis biblicis. SCRIBONIVS LARGVS Patau. 1655. paſſim.
****) Etenim theologi aetatem libri Tobiae referunt circiter ad annum 3206 ad VI ſaecul. ante Chriſtum natum.
*****) De Leucomate Tobiae. Tub. 1743.
******) Libr. II. obſ.29.
*) Anat. pract. ad inſtit. Med. Phyſiol. ſol. 88. b.
**) Fel caninum in cur. accipit. pag. 559. vulturis p. 633.

Digitized by Google

et BVRRHYO *). In his ſcriptis inuenies exempla, vbi in pueris puſtulae oculorum a variolis ortae, quas exulceratio et nebulae oculorum ſecutae erant, collyrii **) adiumento euanuere. Forte nec inutile erit Lapponum hac de re allegare teſtimonia, quae HARMES et ROSEN ***) recenſuerunt. "In omnibus oculorum morbis unguenti loco fel adhibent, „et cygni quidem, aquilae, lupi, habeturque ab iis remedium proba„tiſſimum." His antiquioribus laudibus adiungere nouas recentiori aetate poſſumus, quibus medicamentum noſtrum cumulauit Perill. de HAEN ****) „ad *maculas* enim ait, ad *perlas*, ad *pannos*, ad *pterugia*, ad *adnatas* „*albugines*, nihil efficacius experimur bile hepatica muſtelae fluuiatilis*****): „Antiquum remedium, HARTMANNO aliisque laudatum, obliuioni „deinde fere datum, nunc iterum ad experimenta reuocaui, effectus„que gauiſus ſum, poſtquam nitidos iuuenis oculos conſpexiſſem, quos „a variolis maculatos, hoc oleo integre curauerat MATRONA MATER. „Curaui itaque hanc bilem perpetuo praeſto eſſe******)." In *coecitate veſpertina* non minus prodeſt, ſi ſuadente GESNERO oculus bilis urſinae parte vna et jj aquae illinitur. Similiter felle leporis *ophthalmiam incipientem* GOECKEL FISCHER, FOREST, SPORI *), AVG. A BERGEN **) curaſſe affirmant. In *dilatatione pupillae* porro in vſu eſt et

*) Tract. de felle humano.

**) ℞. ▽. foenicul. Vnc. jjj fell. anguill. drach. j - jß. Sacchar. canth. bene triti drach. j. M. ſtet in loco calido per noctem.

***) Diſſ. citat. de medicina Lappon.

****) Ration. medend. Tom. IX.

*****) Gadus Lota.

******) Bis ter die guttula vna alteraue oculo ſincera inſtillatur ſupra maculam aut albuginem. Plures profecto breui fuerunt, teſtatur auctor, ab his malis curati. Dolorem leuem ac breuem quidam ab admoto hoc remedio experiuntur, alii diuturniorem, grauioremque, illis nihil, his autem poſt horae quadrantem oculos ▽. Roſarum eluere expetit.

*) SPORI Reiſebeſchreibung pag. 9.

**) In diſſ. inaug.

Digitized by Google

et paſſim commendatus venit bilis vſus repetitus id quod AVICENNA et KRAMER *) teſtantur. In China ipſe vapor hepatum in hoc morbo vſurpatur, vti ex SAUVAGES **) SIEVERS ***) DV HALDE LAMBERT ****) et RECVEIL D' OBSERVATIONS *****) patet. Eodem quoque iure in *ſuffuſionibus* adhibetur; ſic enim GALENVS ipſe prouocat ad medicorum laudes, quibus animalium imprimis quorundam bilem extulerunt a virtute et efficacia exacuendi oculos ſuffuſionibusque medendi, vt piſcis callyonimi, Scorpii marini, Hyaenae tum galli et perdicis. APOLLONIVS PITANAEVS plus a canino felle exſpectabat quam Hyaenae in curandis ſuffuſionibus, quo cum conſentit PLINIVS cap. VI. nec minus DIOSCORIDES. Inter recentiores RONDELETIVS fel anguillae commendat et HEISTERVS de cataracta verba e SCVLTETI armamentario laudat haec: "Expertum eſſe fel „Lucii piſcis modico ſacchari miſtum, quod (poſt purgationem et veſi„catoriorum vſum) oculo inſtillatum, ſuffuſionem in principio, Septima„nae ſpatio, reſoluit; hoc felle aeque ac oleo hepatis muſtelae fluuia„tilis SPIEGELIVM ſaepe feliciter vſum eſſe teſtatur HEISTERVS;" alius enim experientias colligit, quia ipſe non vocauerat in vſum medicamen. WEDEL ******) denique aſſerit, ſe feliciter in eiusmodi oculorum affectibus vſurpaſſe. In *amblyopia* denique fel Hyaenae, perdicis et aquilae cum melle laudat ALEXAND. TRALLIANVS *) et GEOFFROI qui breui tempore malum, cornea bile inuncta, feliciter tolli aſſerit. Quare non mirum, ſi omnibus admiſtam videmus bilem Praeparatis opthalmicis. Huc pertinet FORESTI **) illud collyrium

*) I. p. 92.
**) Medic. Sinenſ. pag. 4.
***) Oper. omn.
****) Obſeru. L. X. pag. 211.
*****) p. 361.
******) Miſc. N. C. Decas. I. ann. 2. obſ. 126.
*) Lib. I. cap. XXV.
**) Lib. XI. obſ. 6.

rium ad pannum vel vnguem oculorum, de cuius virtute auctoris ipſius audiamus teſtimonia. " Quod cum ſaepius bis in die in oculum ſtillaretur „licet coecus per integrum fere annum malo laboret, paulatim tamen vi- „ſum recepit, et tandem integre liberatus eſt a pterygio, magno cum noſtro honore et *Dei benignitate!* PAVLLINI porro in Lagographia aqua ophthalmica ſecreta huc debet referri, non minus quam Generoſiſſ. DE GORTER form.447. b. His praeparatis omnibus addiderunt bilem, quo diuulgatior erat eius a viribus diſſoluentibus commendatio, ſat multorum auctoritatibus nixa. Sed tot tantisque auctoritatibus nitatur bilis virtus, nitatur eius vt praeſtantiſſimi medicamenti commendatio, libere tamen fateor dubitationem meam de bilis in hac cauſa praeſtantia. Licet enim vnius tantum viri auctoritatem opponere tot tantisque queam, grauitate tamen ſua pondereque animum ſane in iudicando vacillantem reddere poteſt. RICHTERI eſt iudicis hac in re ſummi, qui priuatis in colloquiis centies absque omni fructu ſe bilem his in morbis expertum eſſe, contendit affirmauitque. Et profecto! quotiescumque bilis indolem cum eiusmodi morborum natura comparauerim, ſemper miratus ſum et adhuc miror, vnde venire potuerit tanta bilis in oculorum morbis commendatio, a cuius indole merito metuendum eſt, ne ſeroſi affectus inflammatorii hinc euadant atque dolores exacerbentur.

§. 23.

In aurium quoque morbis optime conuenire bilem, multi et e veteribus et recentioribus fuerunt, qui contenderent. Sic in ſurditate GALENVS Eſſent. ex bile et Spir. Vini commendat. ETTMÜLLER *) gtt. jj - jjj auribus inſtillare et GEOFFROI **) bombacis lanam cum felle taurina illinitam in hebetudine, ſibilo ſimilibusque vitiis ſuadet. Porro Morbi aurium.

*) Coll. med. gener. pract. p. II. cap. II.
**) Mat. Med. ſub titul. taurus.

Porro probatur aliis ▽ fellis deſtillata, non in auditus tantum hebetudine, ſed in omnibus aurium vitiis, teſte VERZASCHA *) et PLATERO **). Denique in DISPENSATOR. VIENENSI reperitur oleum ſic dictum acuſticum. Inſida ſane bilis vis in aurium morbis curandis eſſe videtur; ſi qui ab ea ſperari poterit effectus, reſolutio cëruminis foret, e ſaponacea bilis virtute deducenda, cui tamen contradicunt experimenta noviſſime exhibita in MEDICAL OBSERVATIONS ***). Nil enim ea effici cl. auctor affirmat, et aquam calidam recte praefert. Laudatur demum tanquam abſtergens *in auribus purulentis;* et AVICENNAE probatum eſt, cum lacte caprino, aut muliebri, et porri ſucco. GALENI iam tempore domeſticum fuit medicamentum. Noſtris temporibus, ad *vlcera meatus auditorii* ab exc. SPIELMANNO commendatum inuenio.

§. 24.

Contuſiones, luxationes, paralyſis.

Ad embrocationes in rheumatiſmo commode adhiberi poſſe bilem, vti iam ſupra monuimus, id ex auctoritate anglorum in *contuſionibus* et *luxationibus* quoque contendimus. Teſtis nobis eſt LEWIS ****) cum Spir. Camph. ait, prodeſt bilis, ad contuſiones et luxationes. Equidem ego agendi modum non plane intelligo, quamquam experientiis res comprobatur, quae ſufficiunt ad praedicandum bilis in hoc quoque morborum genere vſum. Duo enim in medicina ſunt fulcra ratio et experientia, experientia praecedit, ratio ſequitur. Hinc rationes in rebus medicis, experientia non accedente, nihil valent. Hic accedit ipſa domeſtica experientia ab animalibus petita. Legimus nimirum in cl. ELLIS tractatu de oeconomia ouina (Schaafzucht) interprete SCHREBERO *****) ſi in cute ouina forte feſtuca haereat, inungatur vel circum-

*) In capite de graui auditu. pag. 236. **) Oper. omn. p. 215. ***) Vol. IV. 1771. ****) WILIAM LEWIS Mat. med. Lond. 1768. 4. p. 269. *****) Samml. ökonomiſcher Schr. II. Th. p. 135.

circumuoluatur felle ſuillo cutis. Dolores quidem parit, vnde quoque a plurimis hominibus difficulter toleratur, quo efficacius agit in feſtuca extrahenda. Optime autem vulneris ſanationem iuuat. Liceat demum hoc in loco, Perill. HVFELANDI patris, citare de paralyſi artuum experientiam; cum enim per aliquot menſes unguento e bile compoſito vſus eſſet, euanuit brachii contabeſcentia, atque pedetentim fere omnis artuum motus integer reſtitutus eſt, ita vt tantum digitorum quaedam debilitas relinqueretur.

§. 25.

In tumoribus porro frigidis laus bilis haud contemnenda nititur auctoritate, et grauiſſima quidem, excell. HVFELANDI. Aſſerit doctiſſimus auctor, ſe praeſtantiſſimos vidiſſe effectus ex vnguento, quod conſtaret ex oleo amygdalar. oliuar. et oleo quouis deſtillato, (odoris gratia) felle bubulo et ſapone veneto. Inuentorem nominat cl. PITSCHELIVM in ill. coll. med. chyr. Dresd. anatomicum regium. Experientias auctoris breuiter hic addam, rei ipſius autem diiudicationem ex doctiſſima diſſertatione petere licet. Sunt vero hae. *Ganglion* in dorſo manus vaginam tendinis extenſoris communis obſidens, frequenti vnguenti cum frictione applicatione feliciter depulſum eſt. Alius *tumor mobilis*, *infra cordis ſcrobiculum*, pomi magnitudinem aequans, ſpatio jjj hebdomadum euanuit. Eosdem proſperos euentus in *tumore cyſtico palmae* prope medium digitum, vt et in *hepatis et lienis tumoribus*, expertus eſt. Nec minus profuit infantibus in *atrophiae* initio, quo ſimul aluus apertus eſt ſeruatus. In puero x annorum *ſtruma*, quam obſtructiones *glandularum meſeraicarum* hocce vnguento, fonte ſelterano cum lacte, et pulueribus aperientibus tollebantur. Addidit auctor coniecturam, annon in frigidis *mammarum tumoribus*, a lactis coagulis oriundis, vnguentum prodeſſet?

Tumores frigidi.

Nobis

Nobis nullum hac de re dubium eſſe videtur, cum ipſe Ill. HVFFLANDVS ad VALESCI DE TARANTA *) auctoritatem prouocet, qui emplaſtra e felle bouis concinnata ad hunc deſtinauerit vſum. In *ſcrophulis* bilis bubula a FVLVIO GHERLI**) et in RONCALLI ***) operibus celebratur. Neque minus BRANDES ****) in ſeptentrionalibus regionibus ſalmonis ſiccam bilem ad tumores frigidos adhiberi aſſerit.

§. 26.

Vitia cutis. Coſmeticum.

Ad vitia cutis, bilis ope emendanda, progredior, vbi ſimul ob coniunctionem intimam quaedam de vi bilis coſmetica erunt proferenda. Sic AVICENNA in *ſcabie* et *vlceribus omnis generis* DIOSCORIDES in *caligine* et *genarum ſcabritie*, Finlandiae ciues in *malignis vlceribus* bilem adhibent. WILHELM TEN RHYNE*****) curari *carcinomata* bilis ope teſtatur, alii denique in *herpete*, *vitiligine*, *lepra*, *impetigine*, eius virtutem celebrant. Ad *phagadaenicas* quoque *aquas* ſumi, noſtrum medicamentum perhibetur. Generos. DE GORTER formulas denique dedit, ad ſuperanda modo dicta mala. Similiter in PLATERI operibus commendatur vnguentum contra faciem puſtuloſam, abſurde tamen compoſitum, vt ſane in hoc non minus quam in praecedentibus formulis cadat forte dictum: Sunt bona mixta malis, atque alia ſalutaria inſunt, alia contraria, corrumpuntur vero bona, vt fit, mixtura malorum. Sed et gratificandum eſt puellis, et *de vi bilis coſmetica* quaedam monenda. Indagatores huius virtutis, non minus quam defenſores Galli fuerunt, quod nemo miratur, neque mirabitur, forte tamen formulam compoſitionis primam. Haec eſt: fel tauri, alumen, fel vitri, puluis ſubtiliſſimus porcellan. c. ♁to deſtill. in pulu. redactus, borax, ſperma

*) Phil. pharm. L. 3. c. 16. **) Obſeruat. p. 102. ***) Hiſt. morb. p. 43. ****) De piſcatura. *****) Med. ad Hippocr. pag. 107.

Digitized by Google

ſperma ceti, ſaccharum, Camph., Merc. dulcis. Deinde GEOFFROI *) aduerſus lenticulas coſmeticum deſcripſit, conſtans ex felle tauri, oleo Tart. per deliq. et ▽ communi. HARTMANNUS pag. 794. denique aliud poſteritati tradidit, de quo ſic gloriatur: Eſt inſigne! ad miraculum vsque albedinem gratiſſimam concilians **)! Quae quidem omnia me de vſu certum, de proſpero effectu incertum reddunt. Periculaequidem ego magis a ſumma bilis acrimonia quam proſperos exſpectarem effectus; niſi forte iis occurratur, vſu aquae roſarum, qua facies ſtatim poſt vſum coſmetici abluatur. Caeterum optamus auxilia gratiſſima.

§. 27.

Tanquam *ſuppoſitorii* aeque ac *clyſmatis* bilis vſus antiquiſſimus, immo HIPPOCRATI ipſi probatus reperitur, quem morem poſtea noſtri aeui medici ſecuti ſunt. Sic magnus BOERHAVIUS in mat. med. formulam dedit e bile compoſitam, ad lac in inteſtinis coagulatum diſſoluendum et Generoſiſſ. DE GORTER facta e bile clysmata ſuadet maxime tum, ſi ſtimulantia et irritantia requirantur. Nec minus aegris delicatioribus, alui mouendi cauſa, bilis vſus praeſcribitur, quae vel vmbilico inungatur, ſecundum WILHELMI TEN RHYNE ſententiam, vel in forma emplaſtri adhibeatur, vt GEOFFROI exiſtimat. Clysmata et ſuppoſitoria.

§. 28.

Effertur in tam multis ſcriptis bilis vſus tam interne quam externe in partu difficili, vt ſilentio praeterire nullo modo poſſim, vterque tamen vſus vix iuſtis probari poterit rationibus, quae ipſa cauſa fuit, cur res omnis fere ad finem commentatiunculae noſtrae refer- Partus difficilis.

*) Memoir. de l'acad. des Scienc. **) Conſentit cum his ALEXANDER PAEDEMONTANUS in libro de ſecretis et RONSAEUS qui de Eſſ. bilis magna promittit, ad lentigines, et maculas hepaticas diſſipandas. Vt et HOMBERGIUS qui vermiculos cutaneos diſſolui a bile contendit.

reſeruaretur. Multorum quidem hic adſunt auctoritates. Sic enim HELMONTIVS *). "Noui remedium, inquit, lubens in bonum „proximi euulgaui, ne deinceps parturiens, periculo vita ſubiret. „Eſt vero iecur ſimul cum felle anguillae ſiccatum pulueriſatumque „vino ſumtum." Idem remedium THEODORO ZWINGERO **) munificentia Sereniſſimi ducis Guiſani notum fecit atque commendavit. Nec deſunt alii teſtes, ad quos LVDOWICI ***), G.W. WEDEL ****), FLAMMANT *****), HOFFMANN ******), FRANCK DE FRANKENAV *) STAHL **), SCHVRIG ***) aliique pertinent. Tandem BINNINGER ****), cuius verba fere haec ſunt. Praeparaui medicamentum, vt auctores ſuadebant, in vſum grauidarum, idque efficax exſtitit medicamen omnibus, atque tutum parturiendi auxilium, conuenienti quidem tempore exhibitum (nam hic non medicaſtri, ſed medici, non chyrurgi, non Pharmacopaei temeritas; ſed doctorum prudentia requiritur), exhibitum fefellit nunquam. Mira ſane L. B. in medicamentum fiducia! non in eius vires proprias poſita, quas ratione intelligimus, ſed in temporis, vt ſomniat, opportunitatem, a qua prudentiores medici omnem medicamenti vim nunquam exſpectant. Si qui effectus in hac cauſa bili ſit tribuendus, ab eius amaritie et vini virtute neruina venire videtur.

§. 29.

Vſus vel dubius vel abſurdus.

Antequam commentiunculae coronidem imponamus, pauca reſtant de vſu bilis partim dubio, partim abſurdo, quem tamen inriti L. B. allegamus. In Diſpenſatorio Hamburgenſi *****) mixtum quoddam occurrit ſub titulo *Empl. antipleuritici Syluii* de quo TRILLERVS ita: "Quid

*) In tractatu vltra neceſſe non etc. §. 49. **) ZWINGERI Arzeneybuch pag. 238. ***) Ephem. N.C. d.I. annus IX-X. obſ. 35. ****) Ibid. dec. II ann. 4. obſeru. 117. p. 225. *****) L'art de conſeru. la ſanté p. 116. ******) L. I. Mat. med. cap. XIX. p. 368. *) Sat. med. VIII p. 163. **) Mat. med. p. II. pag. 42. ***) In Lithologia l.c. ****) Obſ. Med. 22 cent. III p. 274. *****) Hamb. 1716. fol. p. 48.

Digitized by Google

"Quid miſerabile crama! hoc, quid ibi obſecro! aloë et Myrrha, lapis „magnes, fellis taurinae quantitas, immo ne quid ridiculae ſcenae deſit „ipſe quoque Merc. dulcis" etc. Talis quod in patriae meae Diſpenſatorio exſtet formula, doleo profecto, cum omni tempore, noſtra in republica, ars machaontica floruerit, nec vnquam magis, quod laetabunda mente profiteor quam nunc, cum viri in arte medica praeſtantiſſimi, Germaniae ornamenta ibi degant. Nec vnquam publica ſalus ab vllo promoueri, tuerique felicius potuit, quam adhuc ſub tutela BOLTENII perilluſtris et doctiſſimi viri, cui tanta iam Hammonia debet, factum eſt. O ſi meritis eius immortalibus, quae palam praedicat noui theatri anatomici et Bibliothecae chirurgicae fundatio; oſi inquam accederet et Diſpenſatorii noſtri emendatio. Quod profecto mecum omnes quoque patriae deditiſſimi optabunt.

Laudatur vſus bilis porro a GESNERO in *tuſſi* et *odontalgia.* Extollitur (de quo tamen dubito) in *coryza, aſthmate, orthopnoea, eryſipelis Haemorrhoidibus, arenulis in* renibus *). In *vertigine* effectus vidit WALDVNG, in *ſegni porro venere* GESNERO probatur. HASSELQVIST **) contra *ſterilitatem* virtutem bilis crocodili praedicat "Vſitatum eſt, inquit, et certum remedium foeminarum, intus ſumunt, „ſolum ad gr. vj et peſſum faciunt externe c. lana bombycis", *Errhinum* egregium eſſe ſtatuit DAHLE ***) anglus et ab ARNAVLD ****) Tinct. Spirit. fell. bubul. bonum emeticum habetur. SENNERTVS *****) denique, *aquam ſic dictam Hypnoticam* ******) e bile praeparatam commendat,

*) SCHVRIG in Lithograph. l. c. **) Iter in palaeſt. pag. 296. ***) Mat. med. pag. 559. ****) Hiſt. nat. des anim. IV. p. 68. *****) L. I. p. 11. cap. 1. ******) Si virtus quaedam adeſt ſolummodo ſeminibus Papav. et aquae lactucae (ob lactucae vim venenatam) tribuimus.

mendat, cuius gtt. j. ſomnum per j. horam efficere et conſeruare dicitur. Reperi eandem compoſitionem parum mutatam in PAVLINI Lagographia. Difficile ſane eſt de his omnibus iudicium, num, quae auctores praedicarunt auxilia bilis rationi probentur. Equidem cum nullae additae ſint morborum indicationes, e quibus intelligi queat, quid bilis vi et efficaciae ſit tribuendum, impoſſibilis ſane niſi temeraria foret omnis vel laudum defenſio, vel impugnatio.

§. 30.

Concluſio. His itaque vtere L. B. donec alii plura, praeſtantioraque ſiſtant. Parce vitiis, faue auctori, cui QVINTILIANI illud probatur. "Quae „praeſenti opuſculo deſunt, ſuppleat aetas. Non enim differendum eſt „tyrocinium in ſenectutem. Nam quotidie creſcit metus, magisque fit „ſemper, quod auſuri ſumus et dum deliberamus quando incipiendum, „incipere iam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem, et „adhuc dulcem promi decet, dum et *venia*, et *ſpes* eſt et *para-* „*tus fauor* et *audere non dedecet.*"

CORRIGENDA.

Prooem. lin. 11. l. exquirendarum. p. 4. lin. 5. l. concomitantur. l. 10. l. conſpiciendam. p. 5. lin. 8. l. potuerit. p. 6. lin. 4. l. inueniatur. p. 8. lin. 16. l. ſubſtituant. p. 12. lin. 12. l. abſtergendam. p. 14. l. 19. l. Inceſſito. p. 18. lin. 19. l. quae. p. 20. lin. 15. l. aegrota. p. 21. l. 3. l. cortici. lin. 21. l. ceſſiſſe. p. 24. lin. 20. l. Gallicae. lin. 21. erat l. habebat. p. 33. lin. 5. l. deleatur ſententia. p. 37. lin. 25. l. eſſet. p. 40. lin. 3. l. quaedam. p. 43. l. a protracto. lin. 6. l. quibus.

Digitized by Google

THESES.

1.

Kermes minerale, ſecuritatis gratia longe praeferendum eſt Sulph. aurat. Antimon.

2.

Solani tuberoſi copioſiorem eſum ſtupiditatis et vermium foecundam matrem eſſe, quotidiana docet experientia.

3.

Scabiem ab acaris oriri, veroſimillima eſt Hypotheſis.

4.

Nugae ſunt quae de naeuis veteres ſomniant.

5.

Natura non facit ſaltus.

6.

Nicotianae vſus naturae ita contrarius eſt, vt eum quauis fere reſpuat via.

7.

Syſtema Ill. a Linné, quia fere ordines naturales ſiſtit, in plantis optimum eſt.

H 2 8. Dila-

Digitized by Google

8.

Dilatatio ſymphyſeos oſſium pubis in partu impoſſibilis videtur.

9.

Quaeuis terra medicamenta ſua alit, ſic in montoſis arnica, in maritimis cochlearia.

10.

Idem plantarum ordo, eadem virtus.

11.

Venena et medicamenta doſis ſolummodo diſtinguit.

12.

Selecta ſunt, quae medicum nobilitant.

13.

Qui poteſt mederi ſimplicibus, doloſe et fruſtra quaerit compoſita.

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z1

Digitized by Google



